ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCCXIII ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. M. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

Dr. EDUARDUS WUNDERUS,

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS, ORDIN. SAXON. VIRT. CIV. EQUES.

INEST

DISSERTATIO DE NONNULLIS FIGURIS, QUIBUS POETAE LATINI UTUNTUR, IN EXEMPLUM ADHIBITIS SEPTEM PRIMIS LIBRIS METAMORPHOSEON.

SCRIPSIT HERMANNUS LOEWE, PROF. V.

GRIMAE,

TYPIS CAROLI ROESSLERI.

MDCCCLXIII.

Propositum est mihi, de figuris,*) verborum potissimum, quas lumina orationis a Cicerone appellatas esse constat,**) per hanc scribendi opportunitatem oblatam paucis disserere, ita ut eas potissimum tractandas mihi sumam, quae, quum frequens sit apud poetas latinos, Ovidium potissimum, earum usus, satis tamen diu ab interpretibus plus minus neglectae iacuerunt. Etenim ut omnibus manifestum est harum literarum peritis, quanto studio et labore, quantoque ingenii acumine rem criticam factitarint viri docti, quantaque diligentia et sagacitate in regulis grammaticis recte proponendis versati sint, ita non minus apparere mihi videtur ei, quam nunc tractaturus sim, parti, quam possis vocare sive rhetoricam sive aestheticam, ab editoribus, poetarum certe, non satis curae impensum esse.***) Simul autem hunc potissimum locum elegi, ut discipulis nostris ex hac scriptione aliquid commodi nasceretur habentibus, unde peterent, si qui liber hac in re consulendus esset; nam in grammaticorum libris, qui vulgo in manibus tironum sunt, haec res aut silentio praetermittitur aut summatim breviterque tangitur. Iam vero in hanc sententiam adductus sum ut censeam, tirones etiam ad iustam harum rerum scientiam sensim et pedetemptim informandos esse, sine qua nemo poetam aliquem veterem recte intelligere possit, nedum ut imitando illum queat reddere. Quantum autem ex his rebus impertiri debeat inferiorum ordinum discipulis, ea quaestio est artis didacticae, non huius loci.

Ac, quod supra posui, totum hunc locum per satis longum tempus, quamvis florerent studia antiquitatis, neglectum iacuisse, quum in universum neminem fugere potest harum rerum peritiorem, tum, si exemplo ad comprobandum opus est, possumus uti Naekii V. D.,

---

*) „Figuram censemus eam esse dictionis rationem, quae praeter id, quod verborum significatu comprehensum est, aliquid aliud ipsa conformatione orationis exprimat.“ Hermannus de differentia pros. et poet. orationis.

**) Brut. 79. de orat. III, 53. 54. Orat. 39. 40. Vocabulo figurarum ipse Cicero non utitur.

***) Hoc quum scribo, non ignoro, recentiores quosdam ad totum hunc locum magis animos attendisse, e quibus exempli gratia laudo Voemelium, Schenklium, Rehdantzium in edendo Xenophonte et Demosthene.

qui quum anno huius saeculi duodetricesimo de alliteratione, cuius figurae usus et latissime patet et inde ab antiquissimis poetis repeti potest, accurate et diligenter disseruisset,*) videbatur quibusdam novam aliquam terram, incognitam etiamtum, harum literarum studiosis aperuisse. Vix id fieri posse putaveris; explicatur tamen inde quod, quum per longum temporis intervallum, ut prioribus erroribus medelam afferrent, in interpretandis explicandisque scriptoribus grammaticae potissimum rationem haberent, id maxime secuti ut syntaxin quam certissimis regulis adstringerent, in quibus dandis categorias logicas summam et prope unicam normam sibi proponebant, vitandi erroris studio in alterum, ut assolet, oppositum inducti totum hunc locum, qui altera ex parte locutiones et phraseologiam, quam vocant, complectitur, ex altera has figuras, syntaxin quam vocant ornatam et si quae alia magis ad usum linguae sensumque aliquem venusti revocanda sunt, quam ad praescripta logices, non sine literarum ipsarum detrimento negligerent. Quodsi qui hodie inveniantur, qui hunc locum non esse magni momenti opinentur, videant ne in errore haud parvo versentur: refragrantes quidem praeter ceteros habebunt veteres ipsos, quippe qui plurimum in hac potissimum parte elaborarint et universae formae elegantiae summam curam impenderint. Accedit quod quum, secus atque apud nos est, quos *oculis audire* non illepide nuper vir quidam eruditus dixit, omnia ita scriberentur, ut viva voce auditoribus, qui teretes haberent aures, aut recitarentur aut recitari putarentur (quae res pertinet etiam illa non exigua ex parte ad grammaticam i. e. syntacticam multorum locorum interpretationem), facere non potuerunt, quin accuratissima diligentia ea pertractarent, quae scirent prima in aurium iudicium deduci. Iam vero rerum, quae huc referendae sunt, omnium summus artifex communi veterum et recentium consensu, extitit Ovidius.**) Simul autem sequitur ex iis, quae adhuc disputavi, nostrae quoque aetatis homines, si summam veterum in hac re diligentiam, elegantiam, ubertatem recta mente percipere et deinde ipsi imitando reddere studeant, qua in re plurima etiamnunc docere nos possunt veteres, laetissimos posse eius studii fructus hodieque percipere. — Habet autem huius loci tractatio peculiares quasdam, neque eas exiguas, difficultates. Etenim altera ex parte harum figurarum usus tam late patet ex ipso linguae ingenio ortus, ut totus interdum liber exscribendus videri possit, si cuncta eiusdem schematis exempla velis afferre; ex altera tantopere inter se nexae ligataeque sunt et quasi in semet ipsas implicatae, ut si digerendi causa velis in certa quaedam capita distribuere, vix aegreque separari a se ac divelli patiantur (cf., quae exempli causa e multis affero, anaphoram, polyptotum, parallelismum). Accedit minor quidem, sed non spernenda, quod inde a temporibus veterum rhetorum usque ad haec nostra summa fuit vocabulorum artis in hac re varietas, inconstantia, prope dixerim confusio. Summa autem et potissima difficultas, ut in toto hoc genere, quod possis aestheticum vocare,

---

*) Leguntur illa in Museo Rhenano a Niebuhrio et Brandisio edito vol. III. p. 324—418. In exordio haec ipsius Naekii verba habes: „Ac fortasse fines huius rei quam late pateant — *primus* aut sensisse dicar, aut, quoniam hoc non audeo dicere, probabili modo declarasse.“

**) Adeo ut iam veteribus non raro modum etiam excessisse visus sit (Seneca Rhetor de Ovidio: „Nunquam scit desinere quod bene coepit“), signiferque quasi habendus sit eorum omnium, qui posterioribus temporibus, in Romanensibus potissimum literis, ad nostra usque tempora abusi potius sunt istis figuris quam usi. Cf. antithesin et oxymorum. De summa Ovidii in versibus pangendis elegantia cf. etiam Bernhardy Grundriss der Römischen Literatur 2. Bearbeitung p. 445.

inde oritur, quod quum harum rerum iudicium saepe pendeat non tam ex cogitandi legibus certis terminis circumscriptis, quam ex sensu aliquo pulchri venustique, de quo etsi res ipsa non videatur parum aperta, non potest ubique commodissime explicari ita ut alterum protinus ad tuam sententiam transducas, fieri aliter non potuit quam ut multis locis in diversissimas partes abierint viri docti et etiamnunc abeant. Nihilominus tamen, quum omnino me operae pretium facturum sperarem, si hunc potissimum locum aliqua ex parte tractarem, non invitus has partes suscepi.

Restat ut praemittam nonnulla de tota huius scriptionis ratione et institutione. Et Metamorphoses quidem elegi ad id, quod explicare volebam, illustrandum, quod et Ovidium summum talium rerum artificem esse inque omne tempus reliquis poetis specimen extitisse inter omnes constat et hic liber ex iis est, qui in ludis literariis frequentissime manibus tironum teruntur. Continui autem me inter septem priores libros adiecto dimidio octavi, ne ultra scriptionis scholasticae terminos transgredi cogeretur expositio, et ut simul significarem, quam vere dictum esset iam antiquitus, *in uno esse omnia.* Non potuit autem mihi esse propositum, de cunctis figuris hic fusius disserere: elegi eas, quas putavi frequentissimas, ita tamen, ut totum locum, qui est de tropis, de industria omitterem, de quo alio tempore singulari libello scribere in animo est. — Exempla singularum figurarum etsi multis locis plurima collegi, (quod inter alias causas etiam ideo feci ut si quis posthac vellet *ianuam poeticam* reapse reserare, quae res recte tractata magni videtur laboris esse, posset aliquod, etsi exiguum, operae compendium facere), non potui tamen, nec volui, omnia ubique afferre; id enim ut supervacaneum est ita infinitum. Iam vero quum tanta sit ingenii ubertas Ovidii, ut eandem figuram summa cum arte multis modis variaverit, ita ut inter se simillima tamen aliqua ex parte ita differant, ut peculiari quadam venustate eniteant, studui illud indicare et explicare in illis notis, quas, dedita opera in arctius contractas, ipsis exemplis subiiciendas putavi. — Locos veterum, qui de his rebus scripserunt, Auctoris potissimum ad Herennium (qui liber imprimis bonae frugis plenus est) et Quinctiliani, seriorum deinde illorum Rutilii Lupi, Agricolae Romani, Iulii Rufiniani etsi poteram ad singulas fere figuras adscribere, satis tamen habui, hic illic memorare, eo potissimum consilio, ut, qui discerent, scirent, unde illae res petendae essent. Similiter, cum de poeta scriberem, pedestrium scriptorum exempla, etsi simillima non raro et frequentissima, afferre non putavi meum esse, unde quibusdam tantum in locis tironum in gratiam citavi. Si recentiorum etiam linguarum mentionem inieci, feci id hac mente, ut demonstrarem, quam arcto vinculo studia, quae humanitatis vocentur, etiamnunc cum nostrae aetatis artibus literisque contineantur quantusque fructus hodie etiam ex illis percipi possit.

Anaphora.*) (Cf. alliterationem, asyndeton, polyptotum, antithesim, chiasmum, versus parallelos.) L. I, v. 54. illic — illic; v. 192. sunt mihi, — sunt; v. 197. qui fulmen — qui vos; v. 210. quod admissum — quae vindicta; v. 238. eadem — eadem — idem (cf. chiasmum); v. 240. una domus — domus una (chiasm.); v. 257. quo mare — quo tellus; v. 304. vehit unda — unda vehit (chiasm.); v. 327. innocuos ambos — cultores numinis ambos (eiusmodi anaphoram, quae proxime accedit ad antithesim et in qua repetitio fit in clausulis, h. l. hemistichii [Voss. inst. or. V, 2], sunt qui potius antistrophae annumerandam censeant**) ut nuper Fritzschius V. Cl. in Iahnii ann. vol. LXXXVI. 1862); v. 337. cava buccina — buccina (h. l. totus versus interpositus est); v. 517. per me — per me (est species anadiploseos, nam vocabula eadem in duobus subsequentibus versibus repetitia sunt et licet non in principio versus alterum, tamen in parte versus emphatica h. e. post caesuram. Vocabula autem, quae efficiant anaphoram, posita esse in iis potissimum versus partibus, quae cum accentu efferantur [initium, post caesuram primariam, finis], ex ipsa huius figurae natura et ratione sequitur; item plerumque illam cum asyndeto iunctam esse); v. 458. dare certa ferae, dare vulnera — hosti (attributum et substantivum separata et in hemistichia distributa); v. 480. nec quid — quid — quid sint curat; v. 495. sic — sic; v. 504. Nympha mane — Nympha — mane (cf. parallelismum; totus hic locus inde ab hoc versu usque ad v. 524, quemadmodum etiam infra v. 557—559, quo Apollo alloquitur Daphnen fugientem, deinde mutatam in arborem, ut plenus est affectus animi amore incensi, ita abundat anaphoris); v. 505. sic — sic — sic; v. 510. moderatius — moderatius; v. 512. non — non — non; nescis — nescis (hoc in eodem hemistichio); v. 517. per me — per me; v. 524. prosunt — quae prosunt (quae anaphora praeclare reddit sensum quendam acerbitatis, qui inest in his verbis); v. 559. te — te — te; v. 574. haec — haec — haec; v. 595. sed qui — sed qui (cf. anadiplosim); v. 611. iuvencam. Bos quoque — (anadiplosis sensu strictiore et quidem hoc loco in vocabulis synonymis, sed forma differentibus); v. 643. patrem sequitur — sequiturque sorores (cf. chiasmum); v. 651 et 53. Me miserum — Me miserum (cf. parallelismum); v. 697. si non — si non (altera pars effertur etiam ob causam metricam); v. 770. hoc te — hoc te.

L. II, v. 27. stabat — Stabat — Stabat (anadipl. et parallel.); v. 85. quos habent — quos efflant (in initio hemistichiorum); v. 91. pignora — petis. Do pignora (in eodem versu ita ut, adiuncto chiasmo, anaph. quasi in se redeat); v. 107. aureus axis — temo aureus, aurea (c. polyptot. et chiasm.); v. 179. penitus penitusque***); v. 216. 217. 220. ardent: Ardet — Ardet (anadipl., duo versus interpositi); v. 248. Arsit — arsit (cf. v. 85, caesura diversa); v. 255 et 56. ostia septem — septem (anadipl. c. chiasm.); v. 270. 71. Ter — ter (anadipl., alterum *ter* positum in initio hemistichii versus alterius); v. 285. Hosne — hunc (c. polypt.); v. 290 et 91. quid undae, Quid — (collocata ut in anadipl.); v. 298. Si — si — si (nota collocationem post caesuras); v. 307 et 8. Unde — Unde (cf. parallel.); v. 316. Illic —, illic (cf. v. 317. in hac parte); v. 336 et 37. ossa requirens Repperit ossa —; v. 387. sine fine, sine honore (cum

---

*) Ab aliis vocatur epanaphora, cf. Aquila Romanus p. 34.

**) Veteres ἐπιφοράν appellant.

***) Cf. altera ex parte: iam iamque, ex altera: sensim sensimque, etiam atque etiam.

alliteratione); v. 424. sunt, o sunt — tanti; v. 475; v. 477 et 78. bracchia: Bracchia*); v. 613 et 14—616. quod — quod — odit: Odit — Odit (anaphora duplex, quarum altera est anadipl.); v. 647 et 48. corpus fies — corpus eras (cf. parallel.); v. 661 et 62. Iam — Iam — iam; v. 683; v. 806 et 7; v. 859; v. 863.

L. III, v. 142; v. 227. quaque est difficilis, quaque — nulla (inest climax in verbis); v. 266; v. 358 et 59; v. 377. nec sinit — quod sinit (cum antithesi); v. 398 et 99. vox — atque ossa — Vox manet ossa ferunt — (cum anadipl. et antithesi); v. 402 et 3; v. 405; v. 421; v. 435 et 36 (c. polypt.); v. 505, 507. Planxere — Planxerunt. plangentibus (c. anadipl. et polypt.); v. 539; v. 562; v. 564; v. 616 et 17; v. 629 et 30 (anadipl. et chiasm.); v. 640. Dextera — dextra (cum polypt. et assonantia vocalis a); v. 678; v. 679 et 80 (bracchia cf. II, 477); v. 711 et 12; v. 717 et 18.

L. IV, v. 117. dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti (pro coniunctione copulativa multo fortius anadipl. c. asynd; obiectum dispescuit in duo hemistichia cf. I, 458. quod exemplum etsi simile est, non tamen eiusdem plane generis); v. 164; v. 314; v. 321. Esse deus — (polypt., chiasm., allit.); v. 350 (vocabulum *vix* bis, *iam* ter repetitum); v. 488 et 89. exterrita — Territus (verbum simplex repetitum ex composito); v. 581. bracchia (non anadipl. sed chiasm. h. l.); v. 583; v. 591 et 92; v. 614. alter. at alter (collocatio et allit., antith.); v. 625 et 26. Ter — ter Saepe — saepe (cf. parallel.); v. 637 et 38; v. 653 et 54.

L. V, v. 14 et 15. haec gratia — hac dote (synonyma); v. 17 et 18; v. 129 et 30. Dorylas — Dives agri Dorylas (epanalepsis adiecto, ut assolet, epitheto); v. 217 et 18; v. 304. noviens, noviens (chiasmus, not. collocationem verborum caesurae ratione habita)**); v. 315 et 16. Turpe quidem — sed Turpius — (anadipl., chiasmus); v. 445. solis ab occasu solis quaerebat ad ortus (parallel. in uno versu, chiasmus); v. 496 et 97. Haec — Hos — Hanc (anadipl., polypt.); v. 507 et 8. Sed tamen — sed — Sed tamen (not. vocabulum *tamen* cum vi repetitum); v. 539 et 42. vidit — Vidit (interpositi duo versus); v. 599 et 600. Quo properas? (cf. parallel.).

L. VI, v. 32 et 33. veniam roga — veniam roganti (anadipl. c. polypt.); v. 78 et 79. (ter repetitum); v. 119 et 20. (item ter); v. 245—47. simul (c. anadipl. quater repetitum); v. 301. dum rogat pro qua rogat occidit (anaph. propter antithesim, quae simul inest, cum vi elata); v. 428—34. non (ter c. anadipl.). Eumenides et Hac ave (cum anadipl. ea, quae proxime accedit ad parallel.; his figuris imprimis effertur antithesis, quae inest in toto loco); v. 588—90; v. 690 et 91.

L. VII, v. 43—45. non is — ea — ea (c. polypt.); v. 189 et 90. Ter — ter — ternis (c. polypt.); v. 209; v. 217 et 18; v. 456; v. 472 et 73. Oenopiam — Oenopiam (c. parallel.); v. 566 et 67; v. 636 (cf. V, 217 et 18); v. 639. maius maiusque (climax cf. II, 179. ibique notam); v. 659 et 60; v. 691 et 92; v. 706. teneat lucis, teneat confinia noctis (alterum attributum separatum a substantivo, cf. I, 458 et *ἀπὸ κοινοῦ;* ita saepius apud Ovidium qui videtur sibi placuisse in vocabulis, quae lege grammatica arctissime cohaerent, ita dispescendis; effertur hoc modo cum substantivum, quod commune est attributis, tum attributa ipsa); v. 707 et 8; v. 718 et 19. Sed tamen — sed — sed — (climax); v. 728 et 29; v. 810—13. auram.

---

*) Notandum est, imprimis saepe hoc vocabulum legi in anadiplosi; haud scio an propter hanc causam, quod bracchia, cum praecipua sint pars corporis in agendo conspicua, plerumque efferuntur collocatione et adiectis epithetis?

**) De hac re exposuit Fritzschius V. Cl. in ann. Iahnii.

Aura — Auram — Aura (c. anadipl. et polyptoto in quo h. l. simul chiasmus est); v. 830. cf. V, 217.

L. VIII, v. 35; v. 109; v. 179 et 80; v. 231—33; v. 324; v. 373. Ambo — ambo — ambo (not. collocationem cum arte factam in principio et fine eiusdem versus et in medio versu altero); v. 412 et 13. inter Ilia — per ilia (not. collocationem praepositionis).

Anaphora tum utimur, cum non satis habentes semel aliquid dixisse, idem repetimus; fit id plerumque quod animus est aliqua re commotior, non tamen necessario; nam etiam illa repetitio adverbiorum temporis, quale est pariter — pariter, anaphorae species est; differt a mera repetitione eo, quod haec aurium tantum vel memoriae causa fit. Iam quum vocabula, quae in anaphora posita sunt, necessario emphasim habeant, consentaneum est, ea semper in iis partibus versus collocari, quae accentu insignitae sint rhythmico; sunt illae initium, locus post (et ante) caesuram primariam, finis; variatur haec collocatio tum tantum, cum alia figura adiecta, veluti chiasmo, ordo vulgaris immutatur. Sequitur etiam ut plerumque *ἀσυνδέτως* efferatur anaphora, nam copulae hebetarent vim repetitionis, non augerent; unde fit ut poetae hac figura utantur cum emphasi pro coniunctionibus copulativis (cf. V, 117); deinde ut anaphora, quam apparet in omnibus vocabulis locum habere posse, imprimis frequens sit in quibusdam, qualia sunt pronomina demonstrativa, relativa, interrogativa, adverbia modum indicantia et negantia (*sic*, imprimis in votis faciendis, *non*, *vix*), adverbia temporis et adversativa (*iam*, *sed*). Praeterea ex ipsa huius figurae natura et ratione sequitur ut illa coniunctissima sit cum aliis quibusdam, quarum potissimae sunt polyptotum, alliteratio, antithesis, parallelismus. —

De anadiplosi. Cum vocabulum aliquod vel pars versus praecedentis repetitur in versu sequente vel versibus sequentibus, imprimis autem cum in initio versus id vocabulum repetitur, quod erat in extremo versu antecedente positum (cf. I, 517), anaphora plerumque vocatur anadiplosis vel epanalepsis*) (reduplicatio, *ἐπαναστροφή*, *παλιλογία*); in qua anadiplosi si vocabula eundem in versibus locum habent, haec figura proxime accedit ad parallelismum vel potius est parallelismus.

De anaphora, qua scriptores orationis pedestris utuntur, inter veteres exposuerunt Cicero de Orat. III, 54, 206. Or. 39, 135. Auct. ad Her. IV, 13. Quinctil. IX, 3, 28., inter recentiores I. G. Vossius instit. orat. V, 3., qui more suo etiam multa poetarum exempla affert, Ernesti lex. techn. rhet. lat. p. 331., de *παλιλογίᾳ* p. 10., 230., 331., Handius praecepta styl. lat. p. 444., Naegelsbachius styl. lat. p. 467 ed. II.

Antithesis. I, 314. terra ferax dum terra fuit (cf. anaph.); v. 345. crescunt loca decrescentibus undis.

II, 764. igne vacat semper, caligine semper abundat; v. 781. carpitque et carpitur una, suppliciumque suum est (cf. oxym., polypt.).

III, 98. vox audita est, neque — sed audita est (parallel.); Quid — Serpentem spectas? et tu spectabere serpens (epanaleps.); v. 228.**) Ille fugit per quae — fuerat saepe secutus — famulos ipse suos; v. 245. ad nomen ille caput refert — et abesse queruntur; v. 247. vellet

*) Beckerus censet in epanalepsi eundem casum nominis debere repeti, ad Z, 396.

**) Imprimis antithetici sunt loci de Actaeone, de Narcisso (v. 346 h. l.) quem possis paene totum exscribere tanquam exemplum huius figurae, de Hermaphrodito (IV, 378 sqq.), de poenis apud inferos Ixionis etc. (IV, 460 sqq.), de Medea (VII, 20 sqq.).

abesse quidem, sed adest; vellet videre, non etiam sentire; v. 291. timor et deus ille deorum; v. 337. irrita Facta dei fecisse deo (polypt.); v. 382. vocat illa vocantem (polypt.); v. 424—26. Cunctaque miratur — et ardet (qui locus totus est antitheticus); v. 433. quod petis — perdes; v. 440. Perque oculos perit ipse suos; v. 464. Uror amore mei — feroque; v. 547. Ille dedit leto fortes — molles; v. 566. acrior admonitu est — nocebant (cf. alliter. literae r); v. 655. Si puerum iuvenes — unum.

IV, 108. Una duos perdet; 194—97. Nempe — qui uris, Ureris (polypt.) quique omnia cernere debes — oculos (anadipl.); v. 256. amor — dolorem — indiciumque dolor (polypt.); v. 378 et 79. locus de Hermaphrodito plenissimus antithesis; v. 459—61. locus de Tantalo, Sisypho, Ixione, Belidibus totus antitheticus.

V, 463. Quaerenti defuit orbis; v. 522. Filia — tua si mea filia — (epanodos, chiasmus).

VI, 263. communiter omnes — non omnes; v. 276. Invidiosa suis — miseranda hosti; v. 301. dum rogat pro qua rogat occidit; v. 477. perque suam contraque suam — salutem; v. 537. pelex ego facta sororis (cf. 606); v. 633. quam vocat hic matrem — sororem (c. parallel.).

VII, 20. Video meliora — Deteriora sequor*); v. 21. in hospite, regia virgo (opposita iuxta se posita); v. 37. non precanda, Sed facienda mihi; v. 40. per me — sine me; v. 55. non magna relinquam, Magna sequar (anadipl. c. parallel.); v. 135. tot ab hostibus unum; v. 200—202. concussaque sisto, Stantia concutio (chiasmus polyptoti) nubila — vocoque; v. 241. Dexteriore Hecates, ast laeva parte Iuventae (not. formam antithesis h. l.); v. 569. nec sitis exstincta quam vita.

VIII, 85. vitali nata parentem Crine suum spoliat; v. 111. Et scelus et meritum est; v. 130. scelus — Officium tibi sit (cf. oxym.); v. 167. vixque ipse reverti — potuit (de Daedalo); v. 231. at pater infelix, nec iam pater; v. 282. quanto maiores — Non habet — sed habent — minores (antithesis ita variata ut prior pars sit negativa, posterior affirmativa, not. chiasm.); v. 323. virgineum in puero, puerilem in virgine (c. chiasm. et polypt.).

Cf. Cic. de Orat. II, 65. III, 54. Orat. 49. 50. Quinctil. IX, 3, 90. Auct. ad Her. IV, 18. I. G. Vossius V, 12. Ernesti lex. techn. p. 96. Handius p. 446. Naegelsbach styl. lat. 461 ed. alt.

Ἀντίθεσις contrapositio, *ἀντίθετον* contrapositum**), ea figura ex qua contrariis opponuntur contraria (Or. 50).

Hanc figuram, quum nitatur universa aliqua lege, quam sequatur mens humana in cogitando, etsi consentaneum sit communem esse sermonis omnium populorum, iure tamen contenderis frequentissime inveniri apud veteres et Graecos et Latinos adeo, ut peculiaris quidam *χαρακτήρ* illorum dici possit. (Cf. Naegelsbach l. l.) Itaque scriptores et poetae veteres sine iusta huius figurae notitia recte intelligi nequeunt, praeter ceteros is, quem nunc potissimum spectamus, Ovidius, quippe quem constet omnibus his dicendi formis, et praecipue antithesi, luxurianti ingenio paene abusum esse. Accedit alterum, quod nos iubeat ad hoc potissimum *σχῆμα* animum attendere. Etenim eae omnes gentes, quae nunc ab origine

---

*) Ut in orationibus universis, ita in iis soliloquiis, in quibus deliberat aliquis, faciatne aliquid an non faciat, quale hoc Medeae est (cf. Althaeam deliberantem de nece filii VIII, 481) antithesim quasi dominari consentaneum est; itaque potiora tantum enotabo.

**) De antithetis in prosa oratione egit Ramshornius in Gramm. lat. ampliore p. 931. ed. II.

linguae et literarum Romanenses vocantur, nulla re magis produnt arctam, qua cum ingenio literisque Romanorum coniunctae sunt, propinquitatem, quam frequentissimo antithetorum usu. Quae si quis ex scriptis veterum recte intelligere et vere aestimare didicerit, sciat ille plurimum profecto se profecisse ad libros Francogallorum, Italorum, Anglorum etiam, recte et cum fructu legendos, ita ut hoc quoque exemplo luculenter demonstretur, posse nostros etiam aequales ex lectione veterum prudenter instituta fructum percipere ad studia huius aetatis utiliter tractanda uberrimum.

Antithesi statim subiungendum videtur esse Oxymorum (acutifatuum Voss), „quod Antithesis mater in sinu amplexuque gestat,“ quippe quod nihil sit nisi species antithesis ea, ex qua aliquid quod est ὀξύ ita dicitur, ut prima facie *μῶρον* videri debeat, et quidem eo ipso acute dicitur, quod prima specie fatuum videtur.*) Nascitur haec figura ex compositione eorum, quae contradictionem quam vocant logici in adiecto continere videntur, ita ut repugnare videantur sensui communi qui dicitur, aut etiam inde, quod affirmatio tollitur adiecta negatione. Ex illo genere apud Ovidium inveniuntur haec:

L. I, 433. discors concordia;**) v. 654. tu non inventa reperta Luctus eras levior.

II, 430. Et sibi praeferri se gaudet; v. 492. venatrix metu venantum fugit; v. 494. Ursa — horruit ursos (epanod.); 519. quae prosum sola nocendo; v. 627. iniustaque iusta peregit;***) v. 796. Vixque tenet lacrimas quia nil lacrimabile cernit.

III, 5. facto pius et sceleratus eodem; v. 292. Laeta malo nimiumque potens perituraque amantis Obsequio; v. 466. inopem me copia fecit; v. 468. vellem, quod amamus, abesset; v. 525. Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.

V, 519. Si reperire vocas, amittere certius.

VI, 156. felicissima dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset; v. 288. Illa malo est audax; v. 385. Quid me mihi detrahis? v. 473. ipso sceleris molimine Tereus Creditur esse pius laudemque a crimine sumit; v. 635. scelus est pietas in coniuge Tereo; v. 651. inque suam sua viscera congerit alvum (est potius antithesis gravissima quae speciem tantum praebet oxymori, ambiguitas est enim in vocabulo *viscera*).

VII, 172. Excidit ore pio — scelus? v. 339 et 40. His, ut quaeque pia est, hortatibus impia prima est Et ne sit scelerata facit scelus; v. 604. mortisque timorem Morte fugant (polypt.); v. 796. Gaudia principium nostri sunt — doloris.

VIII, 164. Occurrens sibi venturas adspicit undas.

---

*) Weber praec. styl. lat. p. 255. „eine rhetorische Figur, die in der Zusammenstellung scheinbaren Widersinnes eine witzige oder ironische Anspielung versteckt;“ qui huc etiam illa refert qualia sunt: insigniter affligere, egregie falli, eximie stultus, mirifice ineptus, in sermone vernaculo: sein Schweigen ruft laut genug. Oxymori videtur imprimis frequens usus fuisse in sermone familiari Romanorum, quod exempla e Plauto et Terentio a Vossio allata demonstrant. Hanc quoque figuram a veteribus mutuati sunt recentiores, Francogalli praesertim, in eaque mirifice sibi placent, ita tamen ut a veterum acumine et vi non raro aliquantum absint. Constat enim, id quod illi *esprit* vocent et quo tantopere glorientur, hac fere figura niti (antithesi vel oxymoro).

**) Hoc Vossio, et recte quidem, videtur Ovidius ab Horatio sumsisse, qui similia habet: facilis saevitia, periura fides, strenua inertia.

***) Comparat Vossius ex Consol. ad Liv.: Saevit et iniustum ius sibi sola facit; ex Sidonio: Iniuste tibi iusta persoluta.

Alterum oxymori genus, quod supra posui, ex quo affirmatio et negatio cum vi inter se iunguntur, imprimis frequens apud Graecos est, quare tironum gratia notissima quaedam exempla hic addam: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα (Soph. Ai. 646); μήτηρ ἀμήτωρ (Electr. 1113. ubi vid. not. Wunderi); νύμφην τ᾽ ἄνυμφον, παρθένον τ᾽ ἀπάρθενον (Eur. Hec. 610); ita πόλις ἄπολις, βίος ἀβίωτος (similiter Ennius apud Ciceronem in Laelio c. 6. cui potest esse vita vitalis i. e. vita non est vitalis sine amicitia); χάρις ἄχαρις, φίλος ἄφιλος. Referendum huc etiam aenigma illud non illepidum: ὄρνις οὐκ ὄρνις ἀλλ᾽ ὄρνις ὅμως etc., quod totum hac figura constitutum est.*)

Apostrophe. I, 438—40. te quoque, maxime Python, Tum genuit — serpens Terror eras; v. 720. Arge, iaces; v. 728. ultimus — restabas, Nile, labori.

II, 368. Qui tibi — Mente —, Phaëthon, propior fuit.

IV, 17. et quae — Nomina, Liber, habes (haec est figura orationis, debebat enim tertia persona pergere; non sunt huc referendae notissimae illae invocationes deorum, quas poetae carminibus praemittere solent, sunt enim allocutiones sensu proprio); v. 44. de te, Babylonia, narret, Derceti; v. 68 et 69. primi vidistis — et vocis fecistis iter; v. 73. Invide paries, quid — obstas? v. 110. ego te, miseranda, peremi; v. 112. Nostrum divellite corpus — O quicunque sub hac habitatis rupe, leones (hic locus inter alios demonstrat, quomodo ex allocutione proprie sic dicta orta sit apostrophe; reapse enim alloquitur leones, illud unum affectu animi commotus non cogitans, non posse illos intelligere, quid dicat); v. 118. Accipe nunc, inquit, — haustus; v. 242. Dat tibi, quo possis — promere; v. 458. tibi, Tantale, nullae Deprenduntur aquae.

V, 111. Tu quoque, Iäpetide, — Iussus eras; v. 242. Te tamen, — Polydecta; v. 552. Vobis, Acheloides, unde Pluma —.

VI, 421. solae cessastis Athenae; v. 634. Cui sis nupta, vide, Pandione nata (Progne ad se ipsam).

VII, 11. Frustra, Medea, repugnas;**) v. 229. neque eras immunis, Enipeu; v. 399. quae te, iustissima Phini, Teque, senex Peripha.

Apostrophe, allocutio, compellatio ea est figura, qua saepe impetu aliquo animi abrepti, alloquimur aut eos, de quibus loqueremur, si figura abesset (tertia persona, ut dicunt grammatici), aut eos easque res, quas quum auditu vel intellectu careant, fere non solemus alloqui, veluti res inanimas, bestias, absentes, mortuos (unde sequitur, hoc σχῆμα coniunctissimum esse cum προσωποποιΐα). Iam quum poetarum sit, etiam rebus inanimis vitam tribuere, absentes praesentes fingere, praeterita praesentia, consentaneum est, hanc figuram praeter ceteras illorum esse propriam. Negari nequit, poetas illa simul usos esse ad variandam orationem, sed si iam inter veteres grammaticos fuerunt qui dicerent, adhibitam illam esse

---

*) Ut in vita universa hominum, ita in hoc genere ridiculum prope abesse constat a sublimi; sic iure Molierius illud explosisse videtur: Misanthr. act. I, sc. 2: „On désespère, Alors qu'on espère toujours.“ Cf. Ronsardum de amore ita dicentem: „C'est un plaisir tout rempli de tristesse, C'est un tourment tout confit de liesse, Un désespoir où toujours on espère, Un espérer où l'on se désespère.“

**) Quaeri possit num apostrophe locum habeat in soliloquiis, quippe in quibus non adsit alter quem alloquaris; verum si, ut hic Medea et VI, 634. Progne, aliquis se alloquitur tanquam alteram personam, manifesta est apostrophe; aliter res se haberet si de se dixisset: Frustra repugno.

δι' εὐχρηστίαν τοῦ μέτρου, vel si in iis libris, in quibus versus pangere docemur, traditur, illam simpliciter variandae orationi inservire, erit sane illud, quod ipsa Ovidii exempla demonstrant, cum grano salis, ut aiunt, usurpandum. Prorsus diversa denique est *ἀποστροφή* oratorum, aversio, de qua Quinctilianus loquitur IV, 1, 63. IX, 2, 38.

Assonantia et **alliteratio.***) I, 14. Margine terrarum porrexerat Amphitrite; v. 16. instabilis tellus, innabilis unda; v. 140. Effodiuntur opes, irritamenta malorum; v. 180. Caesariem cum qua terram, mare, sidera movit; v. 193. Faunique Satyrique et monticolae Sylvani; v. 402. Mollirique mora mollitaque – ; v. 521. opiferque per orbem Dicor; v. 586 et 87. sed quam non invenit usquam, Esse putat nusquam (not. collocationem); v. 600. Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem (not. etiam rhythmum, polysyndeton); v. 690. Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas (vers. spondiacus, homoeoteleuton in hemistichio); v. 732. Et gemitu et lacrimis et luctisono mugitu (vers. spond., onomatop.).

II, 61. Qui fera terribili iaculatur fulmina dextra (tota versus conformatione, imprimis frequenti literae *r* usu, depingitur iratum Iovis numen); v. 92. patrio pater esse metu probor (cf. polypt.); v. 104. Propositumque tenet — cupidine currus; v. 146. consiliis, non curribus (in antithesi); v. 167 et 68. ruunt — relinquunt — currunt; v. 186. dis votisque; v. 197. signorum membra duorum; v. 234. arbitrio volucrum raptatur equorum; 260 et 61. penetratque in Tartara rimis Lumen et infernum terret cum coniuge regem (terror inferorum depingitur); v. 267. summo resupina profundo (intra idem hemistichium in initio et fine, ut saepe, cf. statim v. 269. tepidis latuisse sub antris); v. 290. fac me meruisse; v. 294. At coeli miserere tui (in eodem hemistichio, idque in priore, saepius in posteriore); v. 317. fractarum parte rotarum; v. 318. late laceri — currus; v. 322. Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri (cf. polypt., assonantia verbi augetur emphasis membri concessivi); v. 352. longos sua bracchia ramos (post hephthemimerim); v. 361 et 62. Parce, precor (cf. versus parallelos); v. 380. flumina flammis (augetur antithesis); v. 405. Dum redit itque (in eiusmodi formis sollemnis est alliteratio et assonantia quippe in ipsa rei natura posita, cf. fertque refertque pedem); v. 441. Ecce suo comitata choro (in priore hemistichio arsis pedis alterius et penthemimeris); v. 450. dat signa rubore pudoris; v. 454. fraternis languida flammis (in eodem hemistichio post thesim pedis quarti et in fine); v. 457. summas pede contigit undas (post hephthem.); v. 476. prensis a fronte capillis; v. 478. nigris horrescere villis; v. 484. Plenaque terroris rauco de gutture fertur (cf. v. 260 sq.); v. 485. facta quoque mansit in ursa; v. 490. suis erravit in agris (post thesim pedis quarti); v. 502. Immotosque oculos in se sine fine tenentem; v. 504. Vulnifico fuerat fixurus; v. 515. summo, mea vulnera, coelo; v. 521. facta est dea; v. 530. Pellite — pelex (in primo et ultimo versus pede); v. 536. niveis argentea pennis; v. 550. meae praesagia

---

*) Dillerus in programmate edito Misenae anno h. s. quadragesimo altero, in quo inest commentatio de consensu notionum qualis est in vocibus eiusdem originis diversitate formarum copulatis, p. 4. alliterationem dicit esse similitudinem in coniunctis aut saepius repetitis consonantibus literis positam, assonantiam cerni in crebriore earundem vocalium concursu. Omnino vir doctissimus materiam tractavit in illo libello huic nostrae multis ex partibus finitimam. Pontanus *alliterationem* ita definit: „Fit itaque in versu, quoties dictiones continuatae vel binae vel ternae ab iisdem primis consonantibus, mutatis aliquando vocalibus, aut ab iisdem incipiunt syllabis, aut ab iisdem primis vocalibus." Naekius ordine literarum alliterationem ita distinguit, ut fiat I. in primis syllabis; II. in una postrema et altera prima syllaba; III. in mediis vocibus; IV. in postremis syllabis (homoeoteleuton).

linguae; v. 551. Quid fuerim quid simque vide, meritumque require; v. 573. summa spatiarer arena; v. 576. fugio densumque relinquo Litus; v. 602. tumida fervebat ab ira; v. 603. Arma assueta rapit, flexumque a cornibus arcum; v. 606. tractoque a vulnere ferro; v. 608. Potui poenas — Phoebe, dedisse, Sed peperisse prius; v. 613. audierit — exarserit (in penthemimeri et in fine pedis quinti); v. 617. seraque ope vincere fata; v. 629. flammis uteroque parentis; v. 642. Totique salutifer orbi; v. 644. animas tibi reddere ademptas; v. 646. flamma prohiberis avita; v. 672. longae pars maxima pallae; v. 682. septenis fistula cannis; v. 684. Pylios memorantur in agros; v. 701. Iuncta suo pretium — tauro (post arsim pedis secundi et in versu exeunte); v. 828. Vitalesque vias.

III, 7. profugus patriamque iramque parentis; v. 40. Corpus et attonitos subitus tremor occupat artus (not. etiam rhythmum dactylicum); v. 348 et 49. Fatidicus vates ‚Si se non noverit,‘ inquit. Vana diu visa est vox auguris; v. 382. Voce ‚Veni‘ magna — vocat illa vocantem; v. 616. prensoque rudente relabi; v. 619. remis, animorum hortator —; v. 651. e puppi pontum prospectat; v. 662. admirantes remorum in verbere perstant; v. 669. Pictarumque iacent fera corpora pantherarum (thesis pedis primi, arsis alterius, cum quibus consonant arsis et thesis pedis extremi; vers. spond.); v. 684. Emerguntque iterum, redeuntque (arsis pedis II. et pedis IV.); v. 693. ut ira mora vires (litera canina ad iram significandam, ut saepe; cf. exitum in *a*); v. 718. Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem (not. alliterationem partic. praes. satis frequentem cf. statim IV, 237).

IV, 237. precantem Tendentemque manus (finis versus, initium sequentis; imprimis saepe invenitur alliteratio in participio praesentis cf. v. 361.); v. 390. spernitque deum, festumque profanat (asson. in hephthemimeri et arsi pedis quinti, rarius); v. 391. raucis Obstrepuere sonis (consonant finis versus antecedentis et caesura primaria sequentis); v. 494. Sibila dant, saniemque vomunt, linguaque coruscant (not. etiam caesuram choriambicam, quae, ut saepe, alacritatem quandam habet cf. supra v. 390 et passim); v. 497. Inoosque sinus Athamanteosque (arsis pedis I. et V., not. rhythmum nominum propriorum); v. 682. Appellare virum virgo.

V, 164. valle duorum — mugitibus armentorum; v. 195. Vitio — non viribus (antithesis); v. 265. Silvarum lucos — antiquarum (cf. IV, 669); v. 390. humus humida; v. 395. Paene simul visa est dilectaque raptaque Diti (asson. in caesura pedis tertii et in thesi pedis quarti et quinti; cf. quo alio rhythmo rem simillimam depinxerit I, 690.); v. 415 et 16. roganda, Non rapienda fui (antithesis, collocatio in duobus versibus); 420—22. Haud ultra tenuit Saturnius iram — sceptrumque regale lacerto (iram denotat); v. 436. pro vivo vitiatas — venas.

VI. 148. Ante suos Niobe thalamos; v. 355. vixque est via vocis in illis; v. 376. — sub aqua, sub aqua — (cf. chiasm., parallel. in uno versu); v. 495. lacrimis commendat obortis; v. 511. pictae Philomela carinae; v. 521. silvis obscura vetustis; v. 526. magnis super omnia divis; v. 529. madefactis sanguine plumis; v. 531. passos laniata capillos; v. 533. o diris barbare factis; v. 534 et 35. nec — mandata parentis Cum lacrimis movere piis nec cura sororis; v. 552. flexis post terga lacertis; v. 556. comprensam forcipe linguam; v. 559. salire solet mutilatae cauda colubrae; v. 567; v. 571; v. 577; v. 581; v. 582; v. 583 et 84. Dolor ora repressit Verbaque quaerenti —; v. 585. fasque nefasque; v. 591. Ritibus instruitur furialiaque accipit arma; v. 595. Terribilis — furiisque agitata doloris; v. 597. Exululatque, Euhoeque sonat — (not. rhythmum); v. 618. Sontem animam expellam. Magnum quodcunque paravi; v. 623;

v. 628; v. 639 et 40. Tendentemque — et — videntem Et — clamantem et — petentem (not. collocationem participiorum praesentis); v. 645; v. 667. pennis pendere putares; Pendebant pennis (cf. polyptotum, anaphoram); v. 675; v. 690 et 91. vis est. vi — Vi — (cf. anaphoram); v. 693; v. 698; v. 707; v. 720; v. 721.

VII,*) 57 et 58. — quorum — locorum (consonant inter se exitus duorum versuum, quod passim invenitur, cum pron. demonstr. aut relat. in fine versus positum est); v. 80. Parva sub inducta latuit scintilla favilla; v. 111—14. Vertere truces — ferro, Pulvereumque solum — mugitibus impleverunt (totus locus et sono vocabulorum et metro magna cum arte depingit taurorum illorum ferociam); v. 213; v. 248—50. terrenaque — senili (hic quoque *r* litera affectum animi indicat); v. 305 et 6. parili — posse parentem — petunt pretiumque iubent — pacisci (praeter alliterationem caesura quoque confert aliquid ad impetum animi depingendum); v. 411—13—15. Restantem — agros (in Cerbero describendo, si in quo alio animali, *r* litera canina locum habere debet; nota etiam v. 414 et 15. versuum metrum parallelum, quo id quod coninetur voce *pariter* quasi ad aures accidit); v. 448 et 49. Si titulos annosque tuos — Facta premant annos; v. 493. visum Agnovere tamen Cephalum — Inque patris duxere domum (caesura hephthemimeris consonat); v. 559. Dura — terra — praecordia (bis in thesi, semel in arsi); v. 570 et 71. ipsis Inmoriuntur aquis. aliquis — (finis versus antecedentis et caesura primaria sequentis consonant, praeterea arsis pedis proxime sequentis); v. 611. Natarum matrumque animae, iuvenumque senumque (imprimis frequens haec assonantia in genitivo pluralis numeri addito polysyndeto); v. 648. Speque fideque — maiora (paronomasia quae in formulam abiit); v. 649 et 50. in imagine somni Visus eram vidisse viros (sollemnis paronomasia etiam apud scriptores prosaicos ubi de *imagine somni* sermo est); v. 658. annis animisque; v. 727. Ut vidi, obstupui — reliqui.

VIII, 123 et 24. verus et ferus; v. 213 et 14. alto — nido (versus exeuntes consonant); v. 359. vulnificus sus (not. structuram versus); v. 363. Trepidantem et terga parantem —; v. 390. quos petit impedit ictus.

Vidimus iam, alliterationem et assonantiam in versu saepe ita esse collocatam, velut in eodem, posteriore potissimum, hemistichio, ut versus partes inter se consonent et id efficiatur, quod nunc brevitatis causa consonantiam versuum vocabimus (Reim).**) Iam quum multo id clarius appareat propiusque ad nostrum usum accedat, ubi eiusmodi homoeoteleuta sunt in ipsohemistichiorum fine, tum enim dimidii versus eundem habent sonum, haec exempla, satis frequentia, separatim tractanda putavi, ut uno quasi obtutu eam rem complecti possemus. Exempla, ne longus essem, collegi tantum ex libro altero.

L. II, v. 2. auro — pyropo; v. 10. suis — lacertis; v. 18. dextris — sinistris; v. 26. positae — Horae; v. 39. animis — nostris; v. 48. alipedum — equorum; v. 62. currus — quid Iove maius habemus? v. 75. polis — axis; v. 80. adversi — Tauri;***) v. 110. repercusso —

---

*) Inde ab hoc libro exempla in arctius contrahenda putavi.

**) Cf. Wilhelm Grimm, Zur Geschichte des Reims in actis acad. Berol. anni 1851, qui de poetis latinis universis egit inde a pag. 627 usque ad pag. 686, de Ovidio, ex quo haud pauca exempla collegit, inde a pag. 649 usque ad pag. 653.

***) Consonant etiam inter se penthemimeris et arsis pedis sexti cf. v. 96. tantis — marisque; v. 111. magnanimus — opusque.

phoebo; v. 117. extremae — lunae; v. 119. celeres — vomentes; v. 123. rapidae — flammae; v. 127. stimulis — loris; v. 160. ortos — euros; v. 182. equos — paternos; v. 190. occasus — ortus; v. 193. vario — coelo; v. 198. nigri — veneni; v. 201. summo — tergo; v. 213. suo — damno; v. 232. calido — fumo; v. 242. mediis — undis; v. 246. recurvatis — undis; v. 252. Maeonias — ripas; v. 266. consuetas — auras; v. 287. fero, totoque — anno (duplex consonantia); v. 307. latis — terris; v. 315. eripiunt — relinquunt; v. 319. rutilos — capillos; v. 332. malo — illo (post hephthem.); v. 394. dicentem — Solem; v. 408. laesas(que) — silvas; v. 456. attritas — arenas; v. 459. superfusis — lymphis; v. 527. laesae — alumnae; v. 575. blandis — verbis; v. 605. indevitato — telo (not. etiam rhythmum); v. 635. rutilis — capillis; v. 656. lacrimae(que) — obortae; v. 687. nemo — illo (cf. v. 332); v. 698. versa — figura; v. 707. merito — saxo.

De toto hoc genere perperam olim statuisse viros vel peritissimos harum rerum, qualis haud dubie fuit G. I. Vossius, demonstrant quae comment. rhetor. V, II adnotavit ad versum Senecae l. I. natur. quaest.

Colla Cytheriacae splendent agitata columbae.

„Est quidem apud optimos quosque poetas invenire versus, in quibus penthemimeris et ultima versus similiter desinant: verum apud eos et rara haec sunt et sponte oblata: at Nero, ut videtur, affectabat.“

Iam confer unum librum Ovidii; magis etiam usitatam esse hanc hemistichiorum consonantiam in versu pentametro inter omnes constat.

Alterum exemplorum genus, quod nunc, quum de assonantia sermo est, separatim colligendum putavi, complectitur vocabula in *a* literam cum varietate quantitatis desinentia, quae soni variatio quam suaviter ad aures veterum acciderit, larga exemplorum copia demonstrat. Consentaneum est, non raro adiungi assonantiam *a* literae in mediis vocabulis.

I, 70. pressă — massā — illă; v. 156. Obrută — suā — corporă diră; v. 241. Dignă — quā terră patet feră regnat; v. 339. Oră dei madidā rorantiă barbā; v. 465. tuă gloriă nostrā; v. 468. sagittiferā — telā pharetrā; v. 530. auctăque formă fugā est (constat *est* verbo non impediri similitudinem soni); v. 716. Languidă — medicatā lumină virgā; v. 747. Deă linigerā celeberrimă turbā (hemist. eiusdem exitus).

II, 50. Temerariă — Vox meă factă tuā est (dispertita in duos versus litera); v. 63. Arduă primă viă est et quā; v. 325. trifidā fumantiă flammā Corporă (ut v. 50); v. 337. ossă tamen — peregrinā conditā ripā; v. 416. sed nullă potentiă longă est (praemissa assonantia *a* literae); v. 489. solā non ausă quiescere silvā (consonant caesurae).

III, 57. Tristiă sanguineā — vulneră dextrā; v. 173. solitā Titaniă lymphā; v. 251. finitā per plurimă vulneră vitā; v. 264. gemmantiă dextrā Sceptră (hoc in versu altero positum); v. 681. falcată novissimă caudă est (sine varietate quantitatis ut II, 50. 416; sequitur assonantia: Qualiă dimiduae sinuantur cornuă lunae); 693. ut iră morā.

IV, 33. Intempestivā — festā Minervā (consonantia hemist.); v. 54. orsă — lanā suā filā sequente (not. etiam rhythmum); v. 102. leă saevă — multā — undā (not. collocationem vocalium brevium et longarum); v. 703. meă — servată meā virtute paciscor (not. caesuram); v. 781. visā conversă Medusā.

V, 2. fremidă regaliă turbā Atriă; v. 175. Plagă — inermiă frustrā Bracchiă.

VI, 576. Stamină barbaricā — callidă telă; v. 632. raptā silet alteră linguā.

VII, 80. Parvă sub inductā latuit scintillă favillā; 204. Vivăque saxă suā convulsăque roboră terrā (in hoc igitur versu singula vocabula hac assonantia terminantur, *que* enim coniunctione nihil mutatur).

VIII, 86. praedāque potitā nefandā; v. 398. invitā — meă dextră Dianā.

Asyndeton. I, 739—43. fugiunt — saetae — De bove nil superest (variatum interposito polysyndeto: humerique manusque Ungulaque).

II, 4. ebur — tegebat — radiabant — valvae; v. 47. Vix bene desierat, currus rogat ille; v. 239. quaerit Boeotia Dircen — Ephyre etc.; v. 376. Penna latus vestit — Fit nova Cycnus avis; v. 379. nec se — credit — Stagna petit (cf. ellipsim particulae adversativae, similiter huius libri v. 639. non haec — contenta — fuit — arcana canebat); v. 875. tremulae sinuantur flamine vestes (hoc asyndeto, quod locum habet post verba usitato more iuncta et cuius singula verba, quod ad rhythmum attinet, cum delectu posita videntur, multum facit ad rem efferendam et quasi ante oculos ponendam).*)

III, 19. Iam vada — evaserat: — Bos stetit. v. 400. videtur: Omnibus auditur. Sonus est — ; v. 406. Dixerat. Assensit — Rhamnusia (sic potissimum verba dicendi post orationem rectam cum vi quadam ita collocantur, ut unum idque brevissimum enuntiatum efficiant; nota etiam caesuram et tempus verbi dicendi).

IV, 81. aurora removerat —, Solque — siccaverat: — coiere.

VI, 379. Terga — tangunt. colla — videntur: Spina viret. venter — albet (praecedentia coniunctione copulativa inter se nexa sunt); v. 592. caput tegitur — Vellera dependent — incubat hasta.

VII, 100. Postera depulerat —: Conveniunt; v. 219. Nec frustra — Currus adest. Aderat demissus ab aethere currus (versus in se recurrens); v. 651—57. Adeunt — reservent (asyndeta intermixta orationi rite iunctae); v. 663. Iubar — extulerat: Flabat; v. 665. Ad Cephalum — Ad regem Cephalus — Conveniunt (nota etiam parallelismum versuum, chiasmum, anaphoram nominis proprii).

VIII, 28. Torserat — Laudabat — sinuaverat — Sic — iurabat (as. cum vi quadam locum tenet membri hypothetici, cf. versum 32. Cum vero — nudaverat);**) v. 142. Vix dixerat, insilit (celeritatem indicat, qua res illa effecta est); item v. 227. Tabuerant cerae. — quatit ille (nota etiam plusquamperfectum); v. 260—64. Iamque — tellus — tenebat —. et Cocalus — habebatur. Iam — Athenae — desierant — Templa coronantur. v. 352. Ictus est. Diana abstulerat. lignum venit. Ira mota est.

Ex his exemplis apparet, poetas etiam in iis enuntiatis, in quibus apud scriptores pedestris orationis legitimus coniunctionum usus sit, ut in enuntiatis temporis, plerumque *ἀσυνδέτως* loqui (cf. VII, 100. imprimis v. 260 sq. 352 sq.); efficiunt hoc modo poetae, ut

---

*) Aptissime in re simili, e nostris poetis Uhlandius asyndeto illo, quod possis *παθητικόν* vocare, usus est in concludendo carmine quod inscribitur: Die Nonne: Sie — Sah auf mit Himmelsruh Bis ihre Augenlider Im Tode fielen zu; Ihr Schleier wallte nieder.

**) Linguae recentiores, ut vernacula, francogallica utuntur similiter forma interrogativa pro hypothetica: hatte er dies genommen, so nahm sie jenes; rentrait-il le soir, on l'accueillait avec bonté; in latinis tamen verbis nullum inest interrogationis vestigium; vis quae inest in talibus enuntiatis in eo est posita, quod verbis *ἀσυνδέτως* iuxta positis indicatur, alteram actionem (torquendi) statim exceptam esse ab altera (laudandi).

singulae enuntiati partes, cum suo quaeque quasi pondere nitatur, oratione magis efferantur et exprimantur, quam si membrum temporale reliquis subiungatur.

Chiasmus. L. I, 20. Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus (chiasmus, qui saepe, ut h. l., esse non potest sine brevitate quadam, causa est ellipsis durioris); v. 111. Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant; v. 329. Et caelo terras ostendit, et aethera terris (non est chiasmus substantivorum, nam *caelo* respondet *aethera,* sed casus; prope accedit hoc ad eam figuram, quam grammatici *ἐξ ἀπροςδοκήτου* vocant; cf. usitatam chiasmi formam: et terras aetheri); v. 341 et 42. Omnibus audita est — undis Et quibus est undis audita — omnes (triplex chiasm.); v. 429. Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus (cf. anaphor.); v. 437. figuras — antiquas — nova monstra; v. 439. populisque novis, incognite serpens; v. 474. alter amat; fugit altera nomen amantis; v. 556. Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum; v. 557 et 58. coniunx — mea non potes esse, Arbor eris — mea; v. 617 et 18. Quid faciat? crudele — Non dare, suspectum (cf. parallel.). Pudor est qui suadeat illinc, Hinc dissuadet amor; v. 659. Spes — generi — prima, secunda nepotum; v. 660. De grege nunc — vir, nunc de grege natus.

II, 284. Inque oculis tantum, tantum super ora favillae (hac chiasmi forma — ante et post caesuram primariam — valde augetur notio multitudinis); v. 288 et 89. pecori frondes — fruges Humano generi, vobis — tura; v. 407. dat terrae gramina, frondes Arboribus; v. 532 et 33. pavonibus aethera pictis: Tam nuper pictis — pavonibus; v. 584 et 85. Plangere nuda — pectora palmis: Sed neque iam palmas, nec pectora nuda gerebam; v. 776 et 77. livent rubigine dentes, Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

III, 119. Cominus ense ferit, iaculo cadit eminus ipse; v. 206—8. primum Melampus — Ichnobatesque sagax — Gnosius Ichnobates, Spartana gente Melampus (cf. epanalepsim, parallel.); v. 306. flammaeque minus, minus addidit irae (cf. quae ad II, 284. adnotavi);*) v. 446. Et placet et video. sed quod videoque placetque; v. 483 et 84. candida parte Parte rubent (anadipl., simul variatio illius formae, de qua ad v. 305. dixi); v. 501. dictoque vale ‚Vale' inquit et Echo (cf. parallel. et adverte prosodiam); v. 580. tuum nomen nomenque parentum; v. 611 et 12. Quod numen in isto Corpore sit, — sed corpore numen in isto est (simul parallel.).

IV, 71. hinc Thisbe, Pyramus illinc; v. 92. Praecipitatur aquis et aquis nox surgit ab isdem (simile, quamquam non idem, atque VI, 376); v. 372. istum — a me, nec me — ab isto; v. 542. Leucotheeque deum cum matre Palaemona dixit (not. praedicata inter se decussata); v. 610. Non putet esse Iovis. Neque enim Iovis esse putabat Persea (parall. in eodem versu, polypt.); v. 657 et 58. barba comaeque In silvas abeunt, iuga sunt humerique manusque; v. 754—56. Laevum Mercurio, dextrum tibi — Ara Iovis media; — vacca Minervae, Alipedi vitulus.

V, 166. Nescit utro potius ruat, et ruere ardet utroque (cf. alliter.); v. 189. Argento partim, partim caelaverat auro; v. 345. dicere Carmina digna dea. certe dea carmine dignaest

---

*) Ea chiasmi forma, qua idem vocabulum ante et post caesuram primariam collocatur, semper magna cum vi dicitur, cf. h. l. 580. IV, 92. V, 567. VI, 273. (exemplum luculentum). VII, 445. 799. VIII, 26. Longe notissimum ex hoc genere est illud VI, 376. Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant (in quo simul inest onomatopoeia).

(cf. epanod.); v. 483. Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber; v. 567. Cum matre est totidem, totidem cum coniuge.

VI, 273. Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa (inest πάθος); v. 295 et 96. Haec — collabitur. illa — Immoritur. latet haec. illam — videres; v. 299 et 300. Unam minimamque — De multis minimam — et unam (cf. alliter. et asson.); v. 376. sub aqua, sub aqua.

VII, 14 et 15. cur — nimium mihi dura videntur? Sunt quoque dura nimis (cf. parallel.); v. 19 et 20. aliudque cupido, Mens aliud suadet; v. 20 et 21. Video meliora proboque: Deteriora sequor; v. 51—55. germanum fratremque patremque deosque — Nempe pater saevus etc.; v. 224 et 25. quas Ossa, quas altum Pelion — Othrys quas Pindusque et Pindo maior Olympus; v. 255. Hinc procul Aesoniden, procul hinc iubet ire ministros; v. 445. Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda; v. 559 et 60. nec fit Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet; v. 716 et 17. facies — iubebat, — prohibebant credere mores; v. 799. Coniuge eram felix, felix erat illa marito.

VIII, 26 et 27. sumpserat — Fulgentem clipeum, clipeum sumpsisse decebat; v. 249. Altera pars staret, pars altera duceret orbem; v. 293 et 94. Area frustra Et frustra — horrea.

Chiasmi, qui nomen traxit a X litera graeca, decussis, decussatio, hoc est munus, ut antitheta, quippe decussata inter se, magis in lucem proferat. Qui cum linguae Latinae ita sit proprius, ut saepe totus sermo sit χιαστός, nolui hic colligere nisi ea exempla, quae perspicua essent illius usus testimonia; in quibus si quid adnotandum putavi, plerumque ipsis exemplis subieci. De coniunctione chiasmi cum anaphora cf. Naegelsbach p. 471 sq.

Copia. L. I, 37. ambitae circumdare litera terrae; v. 86. erectos ad sidera tollere vultus; v. 88. Induit ignotas — conversa figuras; v. 119. siccis aër fervoribus ustus Canduit; v. 120. glacies adstricta pependit; v. 149. Victa iacet pietas; v. 156. Obruta — cum — iacerent; v. 205—208. Qui postquam voce manuque — pressus gravitate regentis (duo h. l. repetuntur, alterum, Iovem diis silentium imposuisse, alterum, deos conticuisse); v. 290. pressae latent turres; v. 742. Ungula — dilapsa absumitur (cf. graphice dicta).

II, 1. Regia — sublimibus alta columnis (adi. pro partic.);*) v. 308. vibrata fulmina iactat; v. 311. libratum fulmen — Misit; v. 443. Adspicit hanc, visamque vocat. Clamata refugit (bis repetiit verbo synonymo); v. 536. fuit — niveis argentea pennis (periphrasis verbi simplicis, quale foret: albere argenti instar); v. 767 et 68. postes — pulsat. Concussae patuere — ; v. 780. videt —, intabescitque videndo (repetitio gerundio facta).

III, 41. volubilibus nexibus torquet orbes, — saltu sinuatur in arcus (nota ubertatem orationis Latinae); v. 66. iaculum — fixum — Constitit; v. 77. cingitur spiris immensum orbem facientibus; v. 87—89. se retrahebat ab ictu — sinebat (quater notionem cedendi et evitandi ictum variavit); v. 330. vos feriam. Percussis anguibus —; v. 343. Implicuit clausaeque — Vim tulit; v. 349. exitus illam — novitasque furoris (quater repetiit, veram fuisse

---

*) Hoc loco exemplo uti possumus, ut significemus, quantos in errores harum rerum, de quibus nunc agimus, neglectio vel summos viros inducere possit. Ita Bentleius, vir in arte critica plane eximius, ita de hoc loco disputat ut, quum *alta sublimibus* tautologiam non tolerandam habeat, locum coniectura mutandum esse censeat. At vero quum *alta* idem sit atque participium aliquod *elata*, *eminens*, non potuit solum ita dicere poeta, sed ex constanti more suo paene debuit.

vocem auguris, cf. etiam polysynd.); v. 496. resonis iterabat vocibus; v. 672. expresso — curvamine flecti; v. 684. redeunt — rursus.

IV, 64. Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis (c. chiasm. polypt.); v. 85. foribus excedere —, Cumque domo exierint (necessaria h. l. coniunctio temporis, quia non est in usu participium, quod sensus postulat); v. 316. vidit visumque optavit; v. 596 et 97. In sinus — ibat, — dabat amplexus — colla petebat (ter idem); v. 713. ut visa est, in visam saevit; v. 734. Ter quater exegit repetita per ilia.

V, 234 et 35. os timidum — facies obnoxia (quater timorem significavit); v. 410. Quod coit angustis inclusum cornibus.

VI, 396. immaduit, madefactaque; v. 480. pro stimulis facibusque ciboque furoris (ter repetita eadem notio).

VII, 184. per muta silentia noctis; v. 290. Pulsa fugit macies; v. 355. Cum gravis infuso tellus foret obruta (cf. prolepsim); v. 409. tenebroso caecus hiatu; v. 657. Quaesitique tenax et qui quaesita reservent.

VIII, 160. flexum Ducit in errorem — ambage viarum.

Copiam nunc voco plenum quoddam dicendi genus, quo veteres non raro multo quam nos uberius et fusius res describunt, eoque vocabulo utor nostri potissimum sermonis ratione habita, qui illa brevius plerumque et exilius dicimus. Retuli huc illum usum, quo Ovidius eandem vel similem notionem saepius quam nos fere solemus, sed vario semper modo repetit;*) imprimis autem illum, quo Romani verbo, quod iam per se rem non solum nominat, sed etiam describit (graphicum possis dicere), constanti more participium vel adiectivum addunt similis notionis, ex quo, si vernaculam linguam comparas, nascitur quaedam dictionis abundantia. (Cf. inter alia III, 41.) Nos plerumque in tali re uno verbo finito defungimur, aut si participio vel adiectivo utimur, verbum *esse,* quod nihil nisi existentiam denotat, addimus, aut adverbium adiicimus; quamcunque autem rationem Latina reddendi ingredimur, raro ornatum et copiam dictionis Latinae assequi possumus, ita ut haec in primariis laudibus veterum linguarum ponenda sit (idem enim de Graecis dicendum est). Est autem hic usus non minus frequens apud scriptores prosaicos quam apud poetas.**) Coniunxi cum hac aliam dicendi consuetudinem, item in oratione pedestri satis usitatam, qua pro pronominibus demonstrativis, qualia sunt *ille, is,* post verbum finitum participium vel eiusdem verbi vel synonymi ponitur.***) Attulit de hoc usu nonnulla Zumptius §. 718. Hoc modo poetae ut duplex compendium faciunt, alterum pronominum illorum, quae quum nihil nisi logicam aliquam notionem contineant, aliena sunt fere a dictione poetica (unde dudum recte obser-

---

*) Qui usus quum ex ipso linguae ingenio proveniat, non est quod in interpretandis scriptoribus ii qui edunt, ubi inveninntur locutiones quales sunt: saepe clamitare, ante praeparare, rursus repetere, similia, illos a suspicione pleonasmi interdum non sine negotio defendere studeant.

**) Ut ex scriptore pedestri, qui multum in ludis literariis legitur, pauca certe exempla afferam cf. Caes. B. G. I, 28. reducerent, reductos —; II, 19, 5. porrecta loca pertinebant; VII, 59. interclusus distinebat; imprimis B. C. I, 65, 1. quos ubi — visos conspexit; 1, 28. deprehendunt, deprehensas; c. 76. producatur, productos; c. 41. facit potestatem — potestate facta; c. 61. efficeret — effectis. Ex hac figura explicatur etiam simplici ratione locus ille qui legitur apud Caesarem B. G. V, 12. ubi pro *bello illato* scribendum censuerunt: *sedato* vel alia.

***) Hanc quoque rem accurate, ut solet, tractavit Dillerus in programmate saepius laudato pag. 23 sq.

vatum est ab interpretibus, in Metamorphoseon libro, quoniam de hoc nunc loquimur, Ovidium perraro casibus quibusdam obliquis pronominis, quod est *is*, usum esse), alterum adverbiorum temporis, qualia sunt *tum, deinde, postea,* ita arctissimam coniunctionem, quae inter duas res vel actiones intercedit, imprimis effectum illico causam sequentem, et plene et graviter enuntiant.*)

Ellipsis. L. I, 20. sine pondere habentia pondus (quamquam non est vera ellipsis, quum vocabula *sine pondere* locum teneant adiectivi, quale esset imponderabilibus); v. 502. Si qua latent, meliora putat (noch).

IV, 499. nec vulnera membris Ulla ferunt. mens est — (blos); 684. Lumina, quod potuit, lacrimis implevit (was sie allein vermochte); v. 695 et 96. Lacrimarum longa manere Tempora vos poterunt. ad opem brevis hora ferendam est (aber); v. 732. Stantibus exit aquis, operitur ab aequore moto (dagegen).

V, 55. doctus erat, sed — doctior (noch); v. 515. Si nulla est gratia matris, Nata patrem moveat (doch wenigstens); comparetur cum hoc exemplo quod statim subsequitur v. 525 et 26. non hoc iniuria factum, Verum amor est.

VI, 34. Adspicit hanc torvis (sc. oculis); v. 112. Amphitryon fuerit (audiendum ex praecedentibus: ut).

VII, 511. Gratia dis; v. 517. ita voce locutus (est).

VIII, 407. Ancaeo nocuit temeraria virtus (auch dem Anc.).

Ellipsim duplicem intelligo: alteram proprie sic dictam, qua videmus poetam his quidem libris admodum raro usum esse, alteram relativam, quam vocant, hoc est, quae ellipsis tantum ratione nostri usus habita vocari potest. Constat enim, orationem vernaculam a Latina (ex recentioribus linguis etiam a Francogallica) eo magnopere differre, quod nos omnes illas particulas adversativas, concessivas, limitantes (imprimis: nur, noch, dagegen, sondern, auch) plene ponamus, Latini, particularum illarum usu saepe abstinentes, nexu sententiarum, collocatione vocabulorum, figuris quibusdam non solum idem dicant, quod nos, sed multo saepe fortius et maiore cum vi; addita enim illa vocabula tantum abest ut in oratione Latina vim augeant, ut imminuant. Qua in re semper probe tenendum est, veteres non oculis, ut ita dicam, sed auribus scripisse, itaque elocutionem potissimum fuisse, quae cuique sententiae suam vim suumque pondus tribuerit; cui quantam curam impenderint veteres non attinet hic pluribus exponere.

Inter multos, qui de hac re scripserunt, nunc satis habeo laudasse Naegelsbachium styl. lat. §. 67. et ex interpretibus eorum scriptorum, qui plerumque in scholis leguntur, Doberenzium ad Bellum Gallicum, qui magna diligentia hunc locum tractavit.

Graphice dicta. L. I, 340. bucina — cecinit iussos inflata receptus.

II, 712. Vertice supposito — portabant sacra; v. 719. motis circumvolat alis.

III, 104. presso sulcum patefecit aratro.

IV, 511. sumptumque recingitur anguem; v. 619. guttae cecidere — Quas humus exceptas — animavit; v. 777. Supposita cepisse manu; v. 789. quae iactatis tetigisset — pennis.

V, 7. motis exasperat undis; v. 54 et 55. iaculo — misso Figere; v. 96. cecidit collapsus (cf. copia); v. 132. missum stetit inguine ferrum.

---

*) Cf. etiam Haasium ad Reisig. p. 754.

VII, 290. Pulsa fugit macies (cf. copia); v. 338. coniecto emittite ferro; v. 355. infuso tellus — obruta ponto; v. 599. tinxit subiectos sanguine cultros.

VIII, 357. moles adducto concita nervo.

Graphice dicta ea sunt, in quibus ratio et modus, quo id quod verbo primario continetur, factum est, adiecto altero verbo, plerumque participio, ita depingitur, ut eius ortus et progressus quasi in tabula ante oculos ponatur. Constans enim est usus tam Romanorum quam Graecorum, cum notio verbi finiti ita sit comparata, ut ad eam explendam alio verbo quasi intermedio opus sit, hoc est, si quid fieri non possit, veluti *sulcum patefacere,**) quin alterum praecesserit, *aratrum premere,* hanc alteram notionem, quam nos in sermone vernaculo indicare supersedemus, plene et peculiari aliquo verbo efferre. Imprimis frequens, ut ex exemplis allatis apparet, est ille usus in verbis motum significantibus. Cuius dicendi consuetudinis, etsi latissime pateat, neque poetarum propria sit, sed ipso linguae ingenio nitatur, cum denominationem aliquam equidem adhuc non invenissem, ipse novam finxi, quam ideo elegi quod, ut supra indicatum est, verbo illo praeter usum vernaculum addito depingunt quasi et ante oculos ponunt rationem, qua id factum sit, quod verbum finitum contineat. Pertinere autem hanc figuram orationis ad Graecos non minus quam ad Romanos et ex sermone Latina transisse in linguas Romanenses, quae vocantur, neminem potest fugere, qui paulo accuratius hanc rem consideraverit. Ac de Graecis**) quidem sufficit nunc ablegare ad notissimum illud dicendi genus, ex quo verbo finito constanter adduntur participia *ἄγων, ἔχων, φέρων, λαβών, ἄρας* (nunquam aliter me legere memini quam *ἄραντα φέρειν* s. *βαστάσαι****), cuius grammatici fecerunt quidem aliquam mentionem, ita tamen, ut toti huic loco parum curae impenderint; ad recentiores autem linguas quod attinet, duo tantum tangam: constat enim altera ex parte in sermone italico usum illum verbi quod est *venire* adeo esse frequentem, ut plane illud verbum auxiliare factum sit, ex altera Francogallos tanta constantia verbis illis motum significantibus *aller* et *venir* graphice uti, ut statim vel ex hoc uno, tanquam ex quodam schibboleth, peregrinum agnoscant, si quis illis aut non utatur, aut perperam. Unde apparet, quod iam saepius indicavi, quantum profecisse ille putandus sit, qui ex palaestra antiquorum studiorum bene instructus in hanc nostri temporis arenam descenderit.

Κοινοῦ, ἀπὸ — **constructa.** L. I, 218. sedes et inhospita tecta tyranni; v. 305. nec vires fulminis apro Crura nec ablato prosunt — cervo; v. 401. Ponere duritiem coepere suumque rigorem; v. 418. coenumque udaeque paludes (etsi non sit necesse, *udae* etiam ad coenum referre, manifesto tamen notio humoris in hoc quoque vocabulo inest).

---

*) Quod hic dicit sulcum patefacere, non ducere vel tale aliquid, cohaeret id cum alio usu veterum, cuius passim mentionem inieci, ex quo in tali re describenda ea verba praeferunt, quae, ut breviter loquar, non solum indicant, quid sit vel fiat, sed etiam quale sit, vel quomodo fiat quoque effectu.

**) Cf. Vigerum cap. VI. sect. II. cum notis.

***) De simili locutione N. T. *ἀνοίξας τὸ στόμα ἐδίδασκεν* (Matth. V, 2) cf. Tholuck ad h. l., qui si quatuor potissimum eius usus interpretationes affert, apparet, me eam sequi ex qua illud est: diducere os ad loquendum („es bezeichnet nach der malerischen Umständlichkeit der Orientalen das, was dem Acte des Sprechens vorangeht"). Compara Homericum *Καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα* Il. I. 201. et passim, ubi *φωνήσας* similiter explicandum videtur.

II, 109. Per iuga chrysolithi positaeque ex ordine gemmae; v. 294. Circumspice utrumque Fumat uterque polus.

IV, 59. Notitiam primosque gradus (?); v. 620. frequens — infestaque terra colubris (ablativus non una significatione additus); v. 738. Cassiope Cepheusque pater (parentes).

VIII, 193. Tum lino medias et ceris alligat imas.*)

Ἀπὸ κοινοῦ, h. e. quasi communiter constructa ea sunt, quae quum ex ratione grammatica ad unum tantum referri possint, sensu tamen et notione de duobus vel pluribus dicuntur. Usu venit id potissimum in participiis et adiectivis. Possis hic etiam enumerare illud, cum obiectum ad duo membra pertinens semel ponitur ut II, 293. Quod si nec fratris nec te mea gratia tangit.**)

Κῶλα et *κόμματα.* L. II, 818. „Stemus" ait „pacto" velox Cyllenius „isto;" v. 837. „Fide minister" ait „iussorum, nate, meorum."

III, 692. „Praebuimus longis" Pentheus „ambagibus aures" Inquit „ut ira — posset."

V, 280—84. „Mnemonides", cognorat enim, „consistite" dixit „Nec dubitate, precor, tecto grave sidus et imbrem" — Imber erat — „vitare meo. subiere minores Saepe casas superi."

VI, 280—84. „Pascere, crudelis, nostro, Latona dolore, Pascere" ait „satiaque meo tua pectora luctu: Corque ferum satia" dixit. „per funera septem Efferor."

Κῶλα et *κόμματα,* non valde curans discrimen illud quo rhetores antiquitus haec membra longitudine metiebantur, parum sibi ipsi in ea re constantes, nunc voco eam dicendi consuetudinem, ex qua veteres initium orationis rectae interposito subiecto et verbo dicendi in parva quasi membra vel frusta dissecare solebant. Ea consuetudo est tam poetarum quam scriptorum orationis pedestris. Utrosque in ea elegantiam quandam dictionis invenire sibi visos esse demonstrat larga exemplorum copia. Poetae membris illis incisis simul id lucrabantur, ut caesurae et augerentur numero et suaviter ad aures acciderent.***)

---

*) Si audimus Ovidium ipsum eandem rem in Arte Amat. II, 46 ita describentem:
Et leve per lini vincula nectit opus;
Imaque pars ceris adstringitur igne solutis etc.
imas h. l. *ἀπο κοινοῦ* construendum est, quod etiam a re et usu commendatur. Hoc si non statuimus, locus ille huc non est referendus.

**) Referendum huc etiam quod Kruegerus affert in gramm. lat. §. 689. not. ex Art. Amat. III, 11:
Si minor Atrides Helenen, Helenesque sororem
Quo premat Atrides crimine maior habet.

***) In scriptoribus prosaicis exempla ubique obvia. Ita si librum primum de Oratore evolvimus, statim haec occurrunt: c. 11. Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista — dici; ib. c. 17. Tum ridens Scaevola, Non luctabor, inquit, tecum, Crasse, amplius; ib. c. 18. Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quae dicis; c. 23. Quem tu, inquit, mihi, Mucius, Staseam narras? c. 27. Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te —. l. II, c. 3. Quid vos tandem? Crassus, num quisquam, inquit, novi? Ita ut haec collocatio verborum paene legitima dici possit. De Graecorum usu idem dicendum est. Consentaneum est, iis qui dialogos scripserint, Platoni, Xenophonti, Luciano hanc formam imprimis usitatam fuisse. Uno defungar exemplo. Toxaris c. 52. *τοῦτο, ἔφη, καὶ μᾶλλον, ὁ Ἀδύρμαχος, ἐθελήσαιμ' ἂν* cf. ibi not. Iacobitz.

Negatio et **affirmatio** coniunctae de eadem re. L. I, 392. pia sunt nullumque nefas oracula suadent; v. 622. non — exuit — metum, timuitque Iovem; v. 745. metuitque loqui — et verba retemptat.

II, 42. Nec tu — Dignus es — negari et Clymene veros edidit ortus; v. 161. Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent Solis equi, solitaque iugum gravitate carebat; v. 811. neque dant flammas, lenique tepore cremantur.

III, 552. sors — Non celanda foret lacrimaeque pudore carerent.

V, 244. inexorabile — Exerces odium nec iniqua finis in ira est; v. 382. qua — Nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcus.

Periphrasis. L. I, 1. In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora;*) v. 35. magni speciem glomeravit in orbis; v. 73. Astra — formaeque deorum (nos: die Götter); v. 99. Sine militis usu; v. 239. eadem feritatis imago; v. 408. Quae — pars — terrena fuit, versa est in corporis usum (longe significantius quam simplex nomen corporis, cf. IV, 775; VIII, 246).

II, 17. Haec super imposita est coeli fulgentis imago (nihil minus quam circuitio).

III, 554. nec bella iuvant — nec usus equorum; v. 669. Pictarumque iacent fera corpora pantherarum (moles illarum belluarum effertur, cf. *σῶμα, δέρας, χρῆμα*); v. 685. Inque chori ludunt speciem.

IV, 112. Nostrum divellite corpus (Thisbe de se loquitur); v. 313. circumdata corpus amictu; v. 775. Phorcidas unius partitas luminis usum (hic locus praeter ceteros demonstrat, quantum intersit inter circuitionem, i. e. periphrasim ornatus causa factam, et hanc, de qua nunc loquor).

V, 458. parvaque minor mensura lacerta est (nos: er, de puero ipso).

VI, 305. nihil est in imagine vivum.

VII, 128. ubi — imago Effecta est hominis (nos: ein Mensch); v. 181. Ac solida terras spectavit imagine luna.

VIII, 246. et serrae repperit usum (i. e. repperit serram et quomodo ea utendum sit).

Auct. ad Her. IV, 32. haec habet: „Circuitio est oratio rem simplicem assumpta circumscribens elocutione hoc pacto: Scipionis providentia Karthaginis opes fregit. Nam hic,

---

*) Periphrasi annumero hunc locum, quia formae videntur dici pro formis corporum, ita ut hoc quidem loco non corpora ipsa, sed formae notionem primariam contineant, i. e. corpora certa quadam figura et specie praedita. Id simul explicat, cur sic potissimum locutus sit poeta, si nostrum usum comparas, *ἐξ ἀπροςδοκήτου*. Etenim non mirarer, si quis discipulus paulo sagacioris ingenii sic de hoc loco disputaret: „Cur tandem formas mutatas in nova corpora neque inverso ordine, corpora mutata in novas formas? nonne nos dicimus: der Körper erhält eine neue Gestalt, non: die Gestalt einen neuen Körper?“ Aut certe exspectaverit tiro dici: formas mutatas in novas vel corpora mutata in nova. Sensit tale aliquid Lindemannus, qui haec ita vertit in nostram linguam: Wandlungen treibt zu verkünden der Form zu neuer Gestaltung An mich der Geist. Vellem ii, qui Metamorphoses in usum scholarum ediderunt, dixissent aliquid de ipso Metamorphoseon initio, quod ex editoribus, quorum libri mihi in promptu fuerunt, unus fecit Iahnius, ita tamen, ut non satisfecerit. Item de summa arte, qua haec verba ita collocata sunt, ut ne unum quidem loco moveri possit sine aliquo sensus destrimento, altum est silentium; at vero tirones putant, talem collocationem verborum esse poeticam, hoc sensu, ut debeatur necessitati metri. — Prorsus aberravit ab hac collocandi arte interpres ille novissimus; quid enim potest intelligi, quod magis abhorreat a nostro usu, quam positio illa vocabulorum: „An mich der Geist?“

nisi ornandi ratio quaedam esset habita, Scipio potuit et Karthago simpliciter appellari." Potuit quidem, sed aliud est Scipionis providentia fregit opes, aliud Scipio fregit, neque verum est, ornatus tantum causa haec amplificata esse. Ipsum vocabulum circuitionis, quo usus est, quod fere idem valet atque anfractus, et tum dicitur, cum ambagibus utimur, ne rem ipsam tangamus, ut Terentii verbis utar, ab hac periphrasi, de qua nunc loquimur, prorsus abhorret. Periphrasis enim, quam hoc nomine appellamus, comparato aliarum linguarum, praesertim vernaculae, usu in eo vertitur, quod pro simplici denominatione, ut notionem rei augeamus vel potius eam notionem, in qua loci vis continetur, efferamus, circumlocutione quadam utimur, in qua tantum abest ut quicquam sit supervacaneum vel solius ornatus causa adiectum, ut illud vocabulum, quod periphrasi constituendae inservit, potius notionem primariam contineat. An quis est qui contendat, eo quem postremum posui loco VIII, 246. serrae usum nihil esse nisi serram? aut notissimas illas periphrases: sententia dia Catonis, perrupit Acheronta Herculeus labor, excepto Laurentis corpore Turni, alias per amplificationem nescio quam dicta esse pro Catone et Hercule et Turno? — Eiusmodi vocabula sunt potissimum apud Ovidium corpus, usus, species, imago, usus (cf. Zumpt §. 678). Totum autem hunc locum non poetarum proprium esse, sed niti ingenio veterum linguarum, et latinae et graecae (tirones adeant Rost. p. 399 sq. ed. VII.), inter omnes constat.

Recte iam Vossius, qui omnino de toto hoc loco bene dissernit, Inst. or. IV, 13, 10. distinxit inter periphrasim, quae fit verbis propriis, et eam, quae inter tropos referenda est; alia est etiam periphrasis rhetorica, de qua idem loquitur V, 6, 7.

Polyptotum. L. I, 52. quanto est pondere terrae Pondus aquae levius (simul anadipl.); v. 121. subiere domos. domus antra fuerunt (ante et post caes., quantitas syllabarum diversa); v. 141. nocens ferrum, ferroque nocentius aurum (collocatio eadem, cf. chiasmum); sequitur v. 142. Prodierat, prodit bellum; v. 144. non hospes ab hospite tutus; v. 264. Emittitque Notum. Madidis Notus —; v. 292. Omnia pontus erant. deerant quoque litora ponto (simul chiasm.); v. 353. Deinde torus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt (collocatio ante caesuram et in fine); v. 412 et 13. Missa viri manibus faciem traxere virorum Et de femineo reparata est femina iactu; v. 478. Multi illam petiere, illa aversata petentes; v. 486 et 87. Da mihi — dedit hoc pater; v. 489. votoque tuo tua forma repugnat (collocatio legitima pronominum*); v. 515. Quem fugias ideoque fugis (saepius ita in hemistichio priore si caesura est choriambica); v. 522 et 23. herbarum — herbis; v. 576. Undis — undas (incipit versum idem vocabulum quod claudit, epanod.); v. 597. Ne fuge me. fugiebat enim (cf. v. 515 et ellipsim); v. 624 et 25. Argo — Argus habebat (cf. anadipl.); v. 642. Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse (idem in verbo quod supra v. 121. 141. in nomine factum vidimus); v. 720. quodque in tot lumina lumen habes (magnam vim hic habet polypt.); v. 759. Et dici potuisse, et non potuisse repelli (cf. chiasm., epanod., hoc quoque loco parallelismo quodam et aequalitate formae notio adversativa, quae inest in tota sententia, praecipue effertur).

II, 7. Terrarumque orbem, coelumque, quod imminet orbi; v. 56. Sors tua mortalis, non est mortale —; v. 98 et 99. poena. Non honor est. Poenam — poscis; v. 280 et 81.

---

*) Cf. Zumpt. gramm. §. 798.

periturae viribus ignis Igne perire (cf. andipl., chiasm., duplex polypt.); v. 290 et 91. meruisse, — Quid meruit frater; v. 294 et 95. Circumspice utrumque Fumat uterque polus; v. 313. compescuit ignibus ignes (cf. allit., imprimis vim habet polypt. cum vocabulum idem iuxta se ponitur); v. 322. Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri (figura effertur haec notio: omnino visa est cecidisse); v. 345. more suo, nam morem —; v. 355 et 56. vocantia matrem. Quid faciat mater (in fine versus et ante caes. primariam); v. 384. in luctus, et luctibus (simile, non idem, ac I, 121); v. 430. Et sibi praeferri se (cf. oxym.); v. 438 et 39. Quisque Iovem — victor Iuppiter; v. 492. Venatrix metu venantum (cf. oxym.); v. 494. Ursa — ursos (epanod., genus diversum); v. 540. Lingua — lingua faciente (cf. anaph., quantitas diversa); v. 541. Qui color albus erat nunc — albo (cf. antith.); v. 579. pro virgine virgo (cf. v. 313. imprimis legitur eiusmodi polypt. in fine versus); v. 667 et 68. nec equae — Sed simulantis equam; v. 696 et 97. lapis — loquatur. Et lapidem ostendit (affirmatio emphasim habet a polypt.).

III, 60. magnum magno conamine misit (figura valde augetur vis adiectivi); v. 95. victor victi — hostis (antithesis effertur); v. 158. Arte — simulaverat artem (initium et finis eiusdem versus); v. 263. Ipsa petenda — est. ipsam — (in initiis hemistichiorum); v. 360. quam nunc habet — habebat; v. 415. sitim — sitis altera; v. 417. sine corpore amat, corpus putat esse —; v. 430. Quid videat, nescit, sed quod videt —; v. 436. discedet, si tu discedere possis; v. 458. Cum — porrexi — porrigis; v. 459. Cum risi arrides (verbum simplex et compositum); v. 481 et 82. percussit — percussa (cf. copiam); v. 507. Planxerunt — plangentibus (cf. v. 263 h. l.); v. 523. matremque tuam matrisque sorores; v. 532 et 33. aerane tantum Aere repulsa (cf. anadipl.); v. 572 et 73. Bacchus — Quaerenti — Bacchum; v. 588. Ars — census erat. Cum traderet artem (cf. v. 158. eadem collocatio eiusdem nominis); v. 659 et 60. tam — vera — Quam veri maiora fide; v. 720 et 21. Actaeonis — Actaeon.

IV, 17. Tibi enim — Tu (in initio hemistichii, sed duorum versuum); v. 61. Sed vetuere — quod non potuere vetare; v. 89. Arboris. arbor ibi (iuxtapositio in initio versus); v. 159. Nunc tegis —. mox es tectura; v. 170. Cepit amor Solem: Solis referemus amores (duplex polyptoton, chiasmus, ante et post caesuram primariam); v. 172. Hic vidisse deus. videt hic deus omnia primus (chiasm., anaph.); v. 174. Furta tori furtique locum; v. 227. Omnia qui video, per quem videt omnia tellus (antithesis, chiasmus); v. 261. nuda, nudis — capillis (cf. v. 170); v. 294. Ignotis — locis, ignota —; v. 296. Lycias urbes Lyciaeque propinquos (adiect. et subst.); v. 315. Saepe legit — Et tunc — legebat; v. 317. adiit — adire (ante caes., in fine versus); v. 470. Quidque velit. Quod vellet, erat —; v. 509. (iuxta posita in fine, velocitatis notio urgetur); v. 554 et 55. Altera dum — temptat —, temptatos sensit riguisse (cf. copiam); v. 584 et 85. manumque Accipe dum manus est (anadipl., inest pathos); v. 598. Quisquis adest, aderant; v. 630. Evocet Aurorae, currus Aurora diurnos (effert illud, alterum statim exceptum esse ab altero); v. 640. Te generis magni, generis mihi (cf. chiasmus); v. 641. Sive es mirator rerum, mirabere — (substantivum et verbum); v. 642. Sortis erat: — sortem (cf. III, 158. 588); v. 752. in aequore — super aequora.

V, 94. pensaque hoc vulnere vulnus; v. 98 et 99. Prothoënora perculit Hypseus, Hypsea Lyncides (polypt. nos redderemus: diesen wieder); v. 238 et 39. Aggreditur Proetum. nam — Proetus; v. 248 et 49. oraque regis Ore Medusaeo —; v. 300. Miranti sic orsa deae dea (cf. alliter. et antithes.); v. 491 et 92. irascere terrae. Terra nihil meruit; v. 511. dolore Pulsa gravi gravis est amentia (emphasis); v. 527 et 28. Ut desint cetera — Quid quod nec

cetera desunt (cf. parallel.); v. 580 et 81. formae — fama — formosae nomen (subst. et adi.); v. 586. Aestus erat — geminaverat aestum (initium et finis); v. 650. Rex ibi — erat. Regis — (init. et post caes. prim.); v. 652. Et patriam. „Patria est — .“

VI, 3. Laudare parum est. Laudemur — (cf. antithes.); v. 13. domo parva parvis — Hypaepis (utrumque parvum erat); v. 160. Et date Latonae Latonigenisque (simpl. et compos.); v. 234. Frena dabat — dantem — Consequitur (= dum dat); v. 243. Pectora pectoribus (cf. collocationem); v. 386 et 87. clamabat — Clamanti —; v. 434 et 35. Gratata est — ipsi grates egere (synonyma); v. 464. Aut rapere et — raptam defendere; v. 497. voluere — voluisti; v. 570. Et luget non sic lugendae; v. 579. rogat illa. rogata; v. 667. pendere putares: Pendebant —.

VII, 16. timeo — quae — causa timoris? (verbum et subst., collocatio); v. 25 et 26. Quid — Iason? Quem — non tangat Iasonis aetas? v. 28. quem non — Ore movere potest? certe mea pectora movit (parallelismus in uno versu); v. 48 et 49. Tibi se — debebit — Te — sibi iunget (cf. chiasmum); v. 68 et 69. de coniuge solo. Coniugiumne vocas — (subst. concret. et abstract.); v. 93 et 94. Servabere munere nostro: Servatus — dato (ἀσυνθέτως in initio hemistichiorum); v. 156 et 57. spolioque superbus — spolia altera (fortius etiam XIII, 264. sacra et sacra altera, patrem); v. 167. Si tamen hoc possunt, quid enim non carmina possint? (parallel. in uno versu); v. 168. Deme meis annis et demptos — ; v. 187. silent frondes. silet — aër; v. 195 et 96. artesque magarum Quaeque magas —; v. 225. Pindusque et Pindo maior Olympus; v. 260. Tinguit, et intinctas — (simpl. et compos.); v. 319 et 20. balatus — balatum; v. 328 et 29. regem Et cum rege suo —; v. 355 et 56. obruta — inobrutus (affirmat. et negat.); v. 374 et 75. vincere iussus Vicerat; v. 447. In scopulos. scopulis —; v. 589. quotiens pro coniuge coniux; v. 607. Funeribus. neque enim — funera —; v. 636. ramos — ramis; v. 649. Egredere. Egredior —; v. 650. Visus eram vidisse viros (cf. alliter.); v. 691. Flere facit, facietque diu; v. 695. Orithyia — Orithyiae; v. 724. domum. — domus; v. 730 et 31. Tristis erat. sed nulla — formosior — tristi; v. 733. decor — decebat; v. 750. muneribus si munera — darentur; v. 794 et 95. Iaculo — Iaculi; v. 823. nymphae, nympham — (cf. caes. prim., chiasm.); v. 858. docui. Sed quid docuisse iuvabat? v. 860. spectare potest, me spectat.

VIII, 59. causaque — causamque; v. 129 et 30. vicisti crimine — Insequeris crimen; ibid. patriaeque patrique; v. 150. Pluma fuit. plumis (not. caesuram); v. 163. lapsu refluitque fluitque (idem quidem tempus verbi, sed compositi et simplicis); v. 187. Omnia possideat, non possidet aëra; v. 225. 26. Mollit — ceras. Tabuerant cerae (cf. anadiplos. et asyndet.); v. 255 et 56. alte — altoque cacumine; v. 271. petiit —. Causa petendi; v. 288. dentes — dentibus Indis; v. 320 et 21. Ex humero — laevo — laeva tenebat; v. 328. maius opus magni certaminis (comparativus et positivus); v. 350. si te coluique coloque (formula); v. 385 et 86. Primus vidisse — Et primus visum — ostendisse —; v. 421. dextrae coniungere dextram; v. 430. cum munere muneris auctor; cf. v. 436. adimunt munus ius muneris; v. 442. fratrem fraternaque fata.

Pervulgatus est ille usus, ex quo pronomina personalia vel possessiva vel personalia et possessiva eiusdem personae antithetice posita (secundum illam legem, ex qua opposita iuxta se posita magis elucescunt) polyptotum efficiunt. Tetigit hunc etiam Zumptius §. 788. Non minus usitatum, pronomina diversae personae iuxta se ponere, quod non est polyptoton, sed antithesis, itaque illi subiungendum. Quae vocabulorum collocatio quoniam etiam in pedestri oratione sollemnis est, separatim eius exempla componenda putavi.

II, 141. quam tu tibi; v. 177. te tua (v. 293. nec te mea; v. 643. tibi se); v. 683. te tua fistula; v. 704. me mihi — prodis.

III, 463. nec me mea fallit imago.

IV, (142. quis te mihi casus ademit); v. 143. tua te Thisbe; v. 148. tua te manus; v. 567. Non sua se premeret; v. 584. superest de me, me tange (casus diversi, forma eadem).

V, 365. manusque meae, mea — potentia.

VI, (281. meo tua pectora luctu); v. 513. mecum mea vota; v. 651. inque suam sua viscera congerit alvum.

VII, (48. Tibi se — debebit); v. 575. quisque suos, sua cuique domus; v. 816. me mea fata; v. 847. meo mihi carius.

VIII, 196. sua se — pericla; v. 405. o me mihi carior.

Polyptoti*) denominatione, cum alia mihi quidem non innotuerit, si nunc non de nominum solum sed etiam verborum formis similibus utor, habet illud, praeter brevitatem, excusationem ex eo, quod iam veteres (e Graecis Aristoteles, e Latinis Varro et Quinctilianus) nomina πτῶσις et declinatio in verbis quoque usurpaverunt; ut mittam magnam illam in hac re fingendi libertatem, quam Cicero et Quinctilianus, ubi de his figuris loquuntur, disertis verbis nobis concedunt. Coniunctissimum est hoc schema cum anaphora (anadiplosi), alliteratione, parallelismo, aliis figuris, diversis quidem illis, sed tamen tam arcto inter se vinculo coniunctis, ut non raro iisdem locis uti possis exemplis eius.

Haec figura quantopere placuerit poetae, ipsa exemplorum copia satis demonstrat; ex quibus simul manifestum est, quanta cum arte eam variaverit. Quod ut magis appareat, potissimas quasdam eius usus formas attingam. Habemus enim polyptoton aut in duo pluresve versus distributum, aut in uno coniunctum. Hoc si est, saepe invenitur sub exitum versus praecedentis et in initio sequentis, aut in ipso initio et fine, sensu strictiore, ut loquuntur grammatici; sin illud, aut in duo hemistichia vario modo distributum, aut in eodem coniunctum, idque ita, ut aut alia vocabula intercedant, aut iuxta se posita sint ea quae polyptotum efficiunt. Reperiuntur autem frequentissime sibi respondentia aut substantiva substantivis, adiectiva adiectivis, verba verbis, aut substantiva verbis aut adiectiva substantivis, et quidem ita, ut primitiva derivatis, simplicia compositis respondeant.

De tota hac figura copiose et eleganter, multis allatis exemplis (quae ex Ovidio collecta sunt exempla leguntur pag. 13), disseruit Dillerus in programmate supra laudato.

---

*) De usu Sophoclis exposuit exemplis compluribus allatis Wunderus ad Antigonam v. 13.

Quod quoniam non omnibus in promptu esse puto, apponam hic summam eorum, quae de hac re exposuit, ipsis viri docti verbis: „Graeci et Latini, saepius tamen illi, eiusdem vocis syllabam principem per varias formas ita volutare solent, ut et aurium voluptati consulatur et intercedente quadam inter consonas voces necessitudine ipse animus feriri acrius atque ad rem propositam gravius adverti videatur.“ Et paulo infra: „Nobis persuasum est, ex elegantioribus poetis et scriptoribus graecis et latinis nullum esse, quin easdem voces diversa forma repetitas in magna pulcritudinis parte posuerit.“ Et pag. 20 ad Her. 14, 100. nuda nuda recumbis humo: „Non ludit, sed poetarum Graecorum exemplo ea dicendi forma utitur, qua, quae ad rem propositam aliunde accedunt, ipsam rei propositae naturam referre iubentur, quo fit, ut gravior exsistat sententia (Idendität des Persönlichen mit dem Sachlichen, des Subjectiven und Objectiven, des Materiellen und Formellen, des Inneren und Aeusseren).“ Quodsi idem vir doctus addit haec: „Praeterea docet hic locus, probe discernere potuisse Romanos literam *a* productam a correpta,“ in hac re non satisfacit; dicendum certe erat, Romanos hanc literam diversa quantitate usurpatam probe et constanter et eleganter discrevisse, vide quae supra de hac re dixi, ubi de assonantia exposui. — De polyptoto verbi egit inde a pagina vicesima.

Polysyndeton. L. I, 129—31. verumque — habendi (quinquies *que*, bis *et*); v. 286 et 87. Cumque satis arbusta simul — sacris (polys. urgetur notio, cuncta simul rapta esse); v. 500 et 501. laudat digitosque manusque —; v. 515. et 16. Mihi Delphica tellus Et Claros — (polys. augetur iactatio quaedam, qua deus se commendat nymphae); v. 517. quod eritque fuitque Estque (= pariter omnia); v. 637 et 38. Conatoque — propriaque — voce —; v. 741 et 42. humerique manusque Ungulaque in quinos — absumitur ungues (inest paronomasia).

II, 7—11. Terrarumque orbem — et natas (sexies coniunctio copulativa, semel variatur constructio); v. 25—30. Dies et Mensis — Et glacialis Hiems (septies copula, duo asyndeta interposita); v. 96. coeli terraeque marisque; v. 217—26. Silvae cum montibus ardent — (conflagratio terrae describitur: undevicies copula intermixta anadiplosi duplici); v. 241—53. Nec sortita loco — medio caluere Caystro (catalogus fluminum ardentium; polys. variatum anaphora et asyndetis); v. 312. pariterque animaque rotisque Expulit; v. 354. Perque gradus uterum, pectusque, humerosque, manusque; v. 383—85. lucemque odit — Officiumque negat (sexies); v. 601. Et pariter vultusque — plectrumque colorque Excidit.

III, 128. petiitque deditque; 171 et 72. Nepheleque — et Phiale (quinque nomina, totidem copulae): v. 210—224. Pamphagus et Dorceus — (enumeratio canum Actaeonis, octies et vicies copula, bis tantum pro copula *cum* praepositio); v. 618. requiemque modumque.

IV, 9—16. Parent matresque — Et quae (de Baccho; undevicies, variatur verbo *additur* et *cum* praepos.); v. 507—9. Oris Cerberei — et caedis amorem (septies); 592. humerique manusque — et dum loquor, omnia? (quinquies).

V, 86 et 87. Caucasiumque Abarin — Clytumque (adversarii Persei enumerantur, coniunctio copul. sexies); v. 607 et 608. Usque sub Orchomenon — et Elin (loca sub quae fugit Arethusa).

VI, 414—20. Argosque — ab Isthmo (enumeratio urbium, quae legatos Thebas miserint); v. 596—600. Venit — Attonitamque ducit (septies, praecedit asynd.).

VII, 51 et 52. fratremque — Et natale solum; v. 192—98. quaeque diurnis — adeste (invocatio Medeae, duodecies); v. 461—71. Hinc Anaphen — iuvere rates (praecedunt anadiplosis et epanalepsis, deinde quinquies copula; indea v. 469. iterum quinquies); v. 536. canum volucrumque — Inque feris (assonantia imprimis frequens in hac terminatione — *um*); v. 547. silvisque agrisque viisque (cf. asson.); v. 656 et 57. parvumque genus — et qui — reservent (mores Myrmidonum efferuntur polysyndeto).

VIII, 22. Armaque equosque habitusque Cydoneasque pharetras (quater in uno versu, = pariter omnia norat); v. 302—17. primaeque ratis — Lycaei (enumerantur venatores, qui Calydonem convenerunt — quinquies et vicies copula, quater variavit poeta).

Πολυσύνδετον (*συνάφεια*, connexum, contrarium asyndeti) schema est coniunctionibus abundans,*) quod non ita accipiendum est, quasi vere abundent coniunctiones contra usum scriptorum prosaicorum, ornatus tantum poetici causa additae supervacaneae, sed polysyndeton est oratio multum copulata, sed copulata ad eam legem, quae etiam in oratione pedestri valet, ut aut omnia inter se iungantur, aut nihil, iis exceptionibus, quas, quum sint notissimae, nunc mitto. Iam hinc explicatur causa, cur apud eosdem veteres, qui asyndeti frequentem usum fecerint, non minus usitatum sit polysyndeton, quamvis oppositum illi. Nostram dicendi consuetudinem si comparamus, constat, in enumerando nos quoque aliquatenus posse hac figura uti, in aliis autem rebus omnibus, praecipue in copulandis enuntiatis et membris enuntiationum, a polysyndeti usu valde abhorrere. Variavit poeta hanc figuram interpositis aliis, imprimis asyndeto, verum etiam anaphora, anadiplosi, usu *cum* praepos., verbis, quae adiungendi notionem habent, quale potissimum verbum *addendi*, vel ita, ut copulam negativam iungeret verbis carendi. Quum polysyndeton hoc munus habeat, ut cum impetu quodam et vi efferat, plura coniunctim aut fuisse aut evenisse, consentaneum est, primum saepe addita legi adverbia *pariter*, *simul*, similia; deinde hoc schema frequentissime usurpari in describendo vel enumerando; nusquam autem, mea quidem sententia, sine iusta causa, propter ornatum tantum poeticum, sed semper ita, ut non difficile videatur rationem reddere, cur hoc potissimum loco vel illo usus sit poeta. Restat ut paucis de coniunctionibus ipsis loquar, quibus polysyndeton efficitur: quod si est paulo longius, fere ubique ita rem instituit Ovidius, ut *que* coniunctionem saepius repetitam *et* coniunctio excipiat eo discrimine, quod in universum inter has particulas intercedit, de quo cum alii multi exposuerunt tum Naegelsbachius styl. lat. p. 380—87. Videntur ea, quae per *que* copulam connexa sunt, in

---

*) Quinctil. IX, 3, 51.

unum quasi corpus coalescere, ad quae alia per *et* addita tanquam nova accedunt. — Quanta autem vis quantusque impetus in hac figura insit, nostris quoque auribus melius percipietur si, ut omnino verum est, in recitandis versibus omissis elisionibus singulas syllabas pronuntiamus, ita tamen, ut metri lege observata suo loco duae in unam coniungantur, quod praecipue de iis versibus verum est, in quibus maior est alliteratio, cf. inter alia exempla VII, 536. 547. Denique, quod de toto hoc genere dicendum est, non obliviscendum, haud dubie Romanos, quemadmodum hodie populi qui meridiem Europae incolant, talia omnia multo maiore cum contentione vocis et animi incitatione elocutos esse, quam nos fere soleamus.

Versus paralleli.*) I, 67 et 68. carentem — habentem (cf. consonantiam); v. 325—27. Et superesse virum de tot modo milibus unum Et superesse videt de tot modo milibus unam, Innocuos ambos, cultores numinis ambos (locus classicus, quem vocant grammatici, hac in re, parallelismus verus et proprie sic dictus; duae notiones hac figura efferuntur: pariter unum [tantum] virum atque unam [tantum] feminam superstites fuisse; not. etiam collocationem vocabulorum *unum, unam, ambos); v.* 361 et 62. si te quoque pontus haberet — et me quoque pontus haberet (= sors foret plane eadem utriusque); v. 470 et 71. Quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta: Quod fugat, obtusum est et habet sub arundine plumbum (plane sibi respondent hemistichia priora; inest etiam *ἐπάνοδος* eorum quae antecedunt: fugat hoc, facit illud amorem); v. 480 et 81. Saepe pater dixit: ‚Generum mihi, filia, debes.‘ Saepe pater dixit: ‚Debes mihi, nata, nepotes‘ (initium ut v. 470 et 71, variatum deinde chiasmo); v. 527 et 28. nudabant corpora venti — vibrabant flamina vestes (posteriora hemistichia ipso numero et quantitate syllabarum parallela); v. 594 et 95. Praeside tuta deo — Nec de plebe deo (non est solum anaphora, nam parallel. dedita opera in caesura primaria locum habet); v. 607 et 8. ‚Aut ego fallor, Aut ego laedor‘ (hemist. posterius alterius versus et prius alterius); v. 628 et 29. quocunque modo spectabat ad Io: Ante oculos Io (proxime accedit ad anaphoram; cf. etiam assonantiam); v. 635 et 36. Illa etiam supplex Argo cum bracchia vellet Tendere non habuit quae bracchia tenderet Argo (medium tenet hic locus inter parallelismum et chiasmum; cf. praeterea quae adnotavi ad II, 477. anaphora de voce bracchiorum).

II, 63 et 67. Ardua prima via est — Ultima prona via est (parallel. disiunctus tribus versibus intercedentibus); v. 82 et 83. curvantem bracchia longo — curvantem bracchia Cancrum (hic quoque, id quod iam significat *aliter* adverbium, antithesis adiuvatur hac figura, non congruentia et similitudo; cf. antithesim III, 98. VI, 633 etc.); 138 et 39. Neu te dexterior tortum declinet in anguem, Neve sinisterior pressam rota ducat ad aram (membra exteriora sibi respondent, in mediis rhythmus diversus est); 309 et 10. Sed neque quas posset terris inducere, nubes Tunc habuit, nec quos coelo dimitteret, imbres (parallel. triplex variata collocatione); v. 361 et 62. Parce, precor, mater — Parce, precor, nostrum (preces instantes

---

*) Non placent quae exposuit de toto hoc loco Bachius ad XIII, 395.

repetuntur *παραλλήλως*); v. 678 et 79. nam nec rescindere magni Iussa Iovis poteras, nec si rescindere posses, Tunc aderas; v. 703. ‚Sub illis Montibus,‘ inquit, ‚erunt‘ et erant sub montibus illis (cf. chiasmum); v. 704. Me mihi, perfide, prodis? Me mihi prodis? ait (cf. anadiplosim et oxymorum, inest exprobratio cum derisione).

III, 243 et 44. Actaeona quaerunt — Actaeona clamant; v. 353 et 55. Multi illum iuvenes, multae cupiere puellae: Nulli illum iuvenes, nullae tetigere puellae (interposito uno versu, quo parallelismus non tollitur, sed magis effertur*); v. 361 et 62. — posset — posset (parallel. casu, ut videtur, factus); v. 391 et 92. Ante — emoriar, quam sit tibi copia nostri — ‚Sit tibi copia nostri;‘ v. 495. ‚Eheu‘ — iterabat — ‚Eheu‘ (propter has ipsas *voces resonas* nullo loco magis convenit haec figura, quam ubi de Echo sermo est); v. 652 et 53. ‚Non haec mihi litora, nautae, Promisistis‘ — non haec mihi terra rogata est; v. 699 et 700. Sponte sua — Sponte sua.

IV, 152 et 53. quique a me morte revelli — poteras, poteris nec morte revelli (cf. chiasmum); v. 210 et 11. postquam filia crevit, Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit (cf. chiasm. et antithesim); v. 306—9. ‚Salmaci, vel iaculum — misce.‘ Nec iaculum sumit — otia miscet (coniunctae plures figurae praeter parallel., ut polyptotum, chiasmus); v. 556 et 57. Illa manus — in maris undas — manus in easdem porrigit undas; v. 560 et 61. haesit in Illo — gurgite in illo (non videtur dedita opera quaesitus esse h. l. parallel.); v. 575 et 76. in longam porrigar alvum — in longam tenditur alvum.

V, 30 et 31. sed et hunc — spectans, petat hunc ignorat —; v. 208 et 9. Dicere. Bis centum restabant corpora pugnae: Gorgone bis centum riguerunt corpora visa (paene ad syllabam sibi respondent); v. 341—43. Prima Ceres — Prima dedit leges: Cereris sumus omnia munus (in magna aequalitate, ut fere fit, prosodia variata); v. 369 et 70. Tu superos, ipsumque Iovem, tu numina ponti — ipsumque regit qui numina ponti; v. 519 et 20. Si reperire vocas amittere, — aut si Scire ubi sit, reperire vocas (inest amaritudo); v. 578 et 79. — studiosius altera saltus — studiosius altera casses; v. 605 et 6. Ut fugere accipitrem penna trepidante columbae, Ut solet accipiter trepidas urguere columbas (plures figurae coniunctae, imprimis chiasmus et polyptotum).

VI, 15 et 16. Deseruere sui nymphae vineta Timoli, Deseruere suas nymphae Pactolides undas; v. 327 et 28. — et pavido ‚Faveas mihi‘, murmure dixit — et simili ‚Faveas‘ ego murmure dixi; v. 358 et 59. — qui nostro bracchia tendunt — casu tendebant bracchia nati; v. 419 et 20. — aliae bimari clauduntur ab Isthmo, — sitae bimari spectantur ab Isthmo; v. 484 et 85. — successisse duabus — lugubre duabus.

VII, 228 et 29. Multa quoque Apidani — Multa quoque Amphrysi —; v. 246 et 47. Tum super invergens liquidi carchesia bacchi Aeneaque invergens tepidi carchesia lactis; v. 461 et 62. Hinc Anaphen sibi iungit et Astypaleïa regna, Promissis Anaphen, regna

*) Cf., quem iam alii comparaverunt, Catull. LXII. Hanc nulli agricolae, nulli accoluere iuvenci — Multi illam agricolae, multi accoluere iuvenci, item interposito uno versu.

Astypaleïa bello (inest simul epanalepsis); v. 530 et 31. quater orbem, quater — orbem (cf. chiasmum); v. 600 et 1. Fibra quoque aegra notas veri — Perdiderat. tristes penetrant ad viscera morbi (parallel. non formam, sed sensus verborum; similiter v. 611, sed in eodem versu); v. 697 et 98. Pater hanc mihi iunxit Erechtheus, Hanc mihi iunxit amor (cf. anadiplosim).

VIII, 38 et 39. Impetus est illi — est impetus illi (not. chiasmum et collocationem ante factam in initio membri, sed in diversis partibus versus).

Parallelismum (quae figura tam prope accedit similitudine ad anaphoram potissimum, deinde etiam ad alliterationem et assonantiam, polyptotum similes id genus, ut non ubique facile sit iustum discrimen statuere inter illas) dico eam figuram, ex qua duo pluresve versus, vel integri vel maiore ex parte, *παραλλήλως* i. e. aequaliter alter iuxta alterum decurrunt, quae aequalitas cerni potest in similitudine vel sensus vel formae vel utriusque coniunctim, ita tamen, ut iucunda quaedam variatio intermisceatur. Est etiam parallelismus partium versus vel adeo singulorum vocabulorum, hunc tamen potius aut anaphorae aut assonantiae aut etiam polyptoto subiungendum putavi. — Ne hac quidem figura poeta nisi ita usus est, ut ipsa eius forma haberet aliquod momentum ad ea, quae efferri vellet, cum vi efferenda; quae enim mihi quidem casui deberi videntur exempla eius in his libris quaeque verbis paucis additis notavi, ea paucissima sunt numero.

Jahresbericht

über

die Königl. Sächs. Landesschule zu Grimma.

Vom 14. September 1862 bis dahin 1863.

I. Chronik.

Der Geburtstag Sr. Majestät des Königs, des allverehrten Landesvaters, wurde von der Anstalt den 12. December in üblicher Weise gefeiert. In dem dazu angestellten Actus, der mit passenden Gesängen begonnen und beschlossen wurde, hielt Herr Dr. phil. Frohberger die Festrede und sprach über die Anfänge des Hauses Wettin bis herab auf Conrad den Grossen. Nach ihm traten die drei Primaner auf, Theodor Müller aus Chemnitz, Oskar Richard Langbein aus Löbau und Ernst Reinhardt Gast aus Mügeln, von denen der erste die Gedanken des ersten Römischen Consuls, L. Junius Brutus, bei dem Gericht über seine Söhne (nach Liv. II. c. 4 flg.) in einer lateinischen Elegie darstellte, der zweite über den Inhalt und Gedankenzusammenhang der Horatianischen Ode Iustum et tenacem propositi virum u. s. w. (III, 3.) in einer lateinischen Rede sprach, und der dritte in einem deutschen Gedichte die Rettung der vierundzwanzig verschütteten Sandsteinbrecher in den Postelwitzer Brüchen feierte. Den Abend brachte das Schulcollegium nebst den Angehörigen in geselliger Unterhaltung mit dem Cötus in der Schule zu und erfreute sich an den Gesängen und Musikstücken, welche abwechselnd von Seiten der Schüler unter der Leitung des Herrn Cantor Böhringer vorgetragen wurden.

Durch hohe Verordnung vom 17. Januar dieses Jahres wurde von dem Königlichen Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts auf den Vorschlag der Schulinspection genehmigt, dass den Schülern erlaubt werde, täglich in der freien Zeit des Morgens und des Vormittags unter steter Aufsicht des Turnlehrers auf dem Turnplatze im Kreuzgang oder bei ungünstigem Wetter im Turnsaale sich eine angemessene Leibesbewegung nach ihrem eigenen Belieben zu machen und in allen den Turnstunden, welche in die Nachmittags-Freistunde von 4 bis 5 Uhr fallen, der Apparate sich zu bedienen, welche von der Turnstunde habenden Klasse unbenutzt gelassen werden.